LOCI VELLEIANI.

TRACTAVIT

I. C. M. LAURENT Dr.
IOANNEI HAMBURGENSIS COLLABORATOR.

INEST CENSURA EDITIONIS ORELLIANAE.

ALTONAE.
Typis et impensis *J. F. Hammerich.*
1836.

3 ⏌

VIRO MAGNIFICO

CAROLO SIEVEKINGIO

IURIS UTRIUSQUE DOCTORI
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS SYNDICO.

FAUTORI BENEVOLO

HOC QUALICUNQUE LIBELLO

FELICEM A CONVENTU FRANCOFURTENSI
IN PATRIAM REDITUM

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

GRATULATUR

LAURENT.

Lecturis S.

Iusta est atque omni fere tempori communis virorum doctorum de odiosa librariorum in describendis codicibus oscitatione et levitate querela. Godofridus, Abbas Gotwicensis *) „Non nova, inquit, sed vetus iam de imperitia negligentiaque „in describendis codicibus veterum librariorum fuit „querela: ita Gellius N. A. l. VIII, 20; ita Strabo „Geogr. p. 419 de libris incuria librariorum corruptis queritur. Huic librariorum incuriae affinis „exstitit eorum imperitia, dum scripturae antiquioris, variorum in Vocabulis et Literis ductuum, „imo ipsorum verborum peregrinorum quandoque „ignari voces similes vel omitterent plane, vel vitiose easdem proferrent, *vel alias plane substituerent*, quod in antiquis Franco-Gallis, Gothicis „et Longobardicis Literis, queis vetusti, ut infra „demonstrabitur, codices perscripti fuerunt, con-

*) Chronicon Gotwicense p. 3 et 4. Cfr. Ebert. zur Handschriftenkunde pag. 196.

„tingere maxime potuit, cum sinuosos hosce lite-„rarum ductus, varias inflexiones et miras crispa-„tiones aetas posterior ignoraverit."

Cuius incuriae et imperitiae nos quidem imprimis codicis, qui Velleium continuit, Murbacensis scriptorem postulandum putamus. Quum autem hoc solo in codice, eoque perdito, omnis quae nunc institui possit libri Velleiani κρίσις innitatur, — necesse est, unus ille Velleii codex denuo quasi in lucem proferatur, eliciaturque non solum quid suo quoque loco scriptum sit, sed etiam quid scribi debuisset, si ἀρχέτυπον probe legisset monachus. Huic igitur rei ut nos quoque nostram qualemcunque opellam dicaremus, centum amplius locos Velleianos face critica illustrandos suscepimus. Nam librarius Murbacensis singulorum saepe verborum notas diplomaticas falso interpretatus, monstra profecto verborum Velleio obtrusit, et omnino tam inscite et tam negligenter codicem descripsit, ut non sine veri specie Herelii ex sententia librum illum manu exarandum tanquam poenam ob commissum delictum inflictam indignissime videatur tulisse. Quam inconsiderate negotium suum egerit, unum pro multis exemplum comprobet. Libro II, c. 28. 2. scriptum invenit: *s̄polimusieranteo*; inde fecit: *spolia musieranteo*, quum legere deberet: *semper olim usi erant eo.*

Quamobrem notarum maxime diplomaticarum, quae scriba ille Murbacensis perperam explicuit, vestigia nobis duximus persequenda, ut genuinam loci cuiusque scripturam revocaremus. Sed quaeret fortasse quispiam, quasnam nobis in restituendi

hoc modo ἀρχετύπου studio leges scripserimus? — Cui ut quam accuratissime respondeamus, dicturi sumus

De critico, qui nunc exstat, ad Velleium apparatu.

Beatus Rhenanus Seletstadiensis anno, ut ipse putat *), MDXV in coenobio Benedictinorum Murbacensi, in Alsatia superiori sito, invento codice Velleiano, quinquennio post Basileae typis Frobenianis excudit principem scriptoris editionem. — Cuius editionis priusquam vel ulla vel omnia exempla in publicum prodiisent, Ioannes Albertus Burerius „casu inspecto recenti libro erratulum quod„dam deprehendit, leviusculum quidem illud, sed „adeo non leve, quin dignum videretur obser„vatu: atque ex hoc uno caetera omnia spectare „coepit, vetustum Velleii codicem a Io. Frobenio „repetens animo conferendi eius. Contulit itaque „Velleium a capite (quod aiunt) usque ad cal„cem“ **). Qua collatione facta quae in libro impresso deprehenderat vitia et errata literis consignans illi Velleii editioni suas „Emendationes Velleianas ex codice vetusto“ annectendas curavit.

Itaque bis collatus erat codex Velleii Murbacensis: et ab Rhenano et a Burerio. Sed his diebus cognovimus, tertiam quoque eiusdem collationem institutam fuisse. Dico codicem Amerbachianum, Basileae asservatum et nuper ab Io. Casp. Orellio V. Ill. publici iuris factum. Est hoc co-

*) Vid. ed. pr. praef. p. II.
**) Vid. Vell. ed. Rhen. pone p. 70.

dicis Murbacensis apographum, Bonifacii Amerbachii manu exaratum *).

De quo Orellius **): „Fuerunt, inquit, qui „crederent, hoc ipsum exemplar traditum esse ope„ris Frobenianis: ex quo Editio princeps anni „MDXX exprimeretur, adeoque hoc illud esse, „quod Rhenanus properanter atque infeliciter ab „amico quodam descriptum conqueritur in dedi„catione.“ (pag. 3) At negat utrumque Orellius.

Nos autem ut exemplum Amerbachianum typis descriptum non esse concedimus, ita dissentimus ab eo quod Orellius ***) statuit: exemplum illud ab amico quodam Rhenani descriptum idem esse atque illud quod typothetis traditum sit. Nosenim — ut quod nobis demonstrandum sumpsimus statim ab initio ponamus — contendimus, codicem Amerbachianum esse exemplar illud ab amico quodam Rhenani properanter atque infeliciter descriptum, idque diversum esse ab eo exemplo quod ut typis exscriberetur in officinam Frobenii missum est.

Accipe quae in dedicatione, editioni Velleianae praemissa et sexto Id. Dec. anno MDXX con-

*) Orellio auctore hanc habet subscriptionem:
Tertio Eid. Aug. MDXVI
Basileiae In edib. suis
Bo. Amerbacch
Θεσμὸν ἔρως οὐκ οἶδε βιημάχος
P
V

**) Vid. ed. Orell. p. VIII.

***) Vid. Orellii ed. pagina VIII et IX, et confer Krausianam p. 52.

scripta, pagina altera exposuit Rhenanus. Qui: „Equidem, inquit, abhinc annos, ut puto, quinque „cum primum hunc (codicem) in Murbacensi bi„bliotheca reperissem, et viderem tam prodigiose „corruptum, ut omnia restituere non foret humani „ingenii, *properanter ac infeliciter ab amico quo„dam descriptum* premendum plane censebam, do„nec melioris nobis codicis fieret copia, quem ac„ceperam haberi Mediolani. Verum dum frustra „iam tres annos expectamus, interim doctissimus „quisque mecum expostulat, cur tam insignem au„torem studiosis communicare tamdiu differam. Ad„dunt convicia quidam, dictitantes, illum in hoc a „me premi, ut olim alienum opus tamquam ingenii „mei foeturam in publicum emittam. Proinde nunc „aedidimus (sic)" et q. s. Itaque verba illa „*codicem — descriptum premendum censebam*" in causa haud dubie fuerunt, ut exemplum illud, in tempus tantum pressum, postea typothetae traditum statuerint VV. DD. Sed Rhenanus quum dicat sese codicem descriptum pressisse, his verbis non profitetur, sese postea apographum illud typis excudisse. Nobis enim et verba illa aliter explicanda, et multa praeterea argumenta in promptu esse videntur, quae exemplar illud, quod Rhenanus properanter ac infeliciter ab amico quodam descriptum dicit, Ioannis Frobenii operis traditum non esse commonstrent.

Quorum primum est, quod opinioni illi ipsa Rhenani verba prorsus adversantur. Si enim exemplar illud in officinam misisset, quomodo haec poterat conqueri: „Curavimus autem nos multa vul„nera perfecte, nonnulla sic, ut cicatrix etiamnum

„appareat. Nec propterea nullam mihi gratiam habebis, amice lector, *quod non omnia restituerim.* „Quodsi tu scires quam ego laborarim in his fragmentis utcunque restituendis, credo, fatebris, Te „mihi nonnihil debere. Neque enim quia Tu multa „absque offensione legis, idcirco codex planus erat: „imo nihil erat non depravatum, in singulis paene „verbis haerebatur. Fatebuntur me vera dicere qui„cunque vetustum codicem inspexerint, qui in Mur„bacensi bibliotheca *adhuc* *) asservatur. Proinde co„gita quantis mihi vigiliis constiterit haec qualis qualis „castigatio" **). Quae qui legit non negabit, opinor, Rhenani manibus tritum esse ipsum codicem Murbacensem. Quod quum ita sit, Rhenanus codicem ipse sua manu descripsisse videtur, illo amici exemplo omnino seposito. Neque enim — ut iam ad alterum accedamus argumentum — credibile est, Beatum exemplar illud infeliciter descriptum emendasse tantum et cum ipso codice comparatum edidisse. Quinquennii spatium (exspectavit enim ab anno circiter 1515 usque ad annum 1520) Rhenanum impulisse videtur, ut — quod seduli diligentisque Editoris omnino esset — suam ipse operam in novo exemplo manu exarando collocaret.

At quaeritur, ubi commorans Rhenanus codice Murbacensi usus fuerit: utrum Murbaci, an alibi?

*) Parum accurate haec scripta sunt. Etenim ne tum quidem quum haec typis excusa erant, Murbacum remissus erat codex, sed Basileae erat in aedibus Frobenii, unde Burerius eum, ut diximus, secum domum comportasse profitetur. Rhenani menti obversabatur tempus illud, quo lector librum impressum in manibus habiturus esset.

**) Vid. Ed. pr. p. 70.

Zeltnero auctore, Seletstadii in urbe patria habitabat Rhenanus *). Basileae quidem commorabatur quum typis exprimeretur Velleius. Epilogum enim, Velleio in fine annexum, dedit Basileae XVII Cal. Dec., dedicationem vero libri, in fronte positam, sed peracta demum, ut etiamnum fit, impressione scriptam, Seletstadii 17 Id. Dec., adeoque viginti tribus diebus post quum domum rediisset literis mandavit.

Quapropter quamquam diu Seletstadii domicilium habuit Beatus, anno tamen 1515, quo codicem inventum cum Bonifacio Amerbachio communicavit, nondum in patria consederat; sed Basileae adhuc Cononis et Ioannis Amerbachii consuetudine et familiaritate gaudebat. Orellius enim **): „Atque verum est, inquit, (Bonifacium) Amerbachium natum anno MCDXCV annorum unius et viginti adolescentem, cum Codicem Murbacensem descripsit, Rhenani fuisse discipulum, ut didici ex quadam eius epistola, anno 1520 ad praeceptorem missa et Basileae hodieque asservata.“ Quae compares, quaeso, cum iis, quae Zeltnerus tradit ***): Rhenanum, Argentina relicta, Basileae Ioannis

*) Vid. *Zeltneri* Correctorum in Typographiis Eruditorum Centuriam. Norimb. 1716 pag. 467. Ceterum utrum quo tempore codicem inveniret, iam Basileae an adhuc Argentinae sedem haberet an Argentina Basileam proficiscens Murbacum deverterit nobis non liquet; sed liquebit fortasse iis quibus m. Beati Rhenani Vita a Io. Sturmio Basil. 1551 edita et a Zeltnero monstrata uti liceat.

**) Vid. Orell. et Vell. p. VIII. Et de Amerbachii praenomine cfr. Zeltn. l. l. p. 465.

***) Vid. Zeltn. l. l.

Cononis, in aedibus Ioannis Amerbachii correctionem librorum gerentis, Viri in Graecis Literis exercitatissimi, fidei se tradidisse, atque aemulos simul bonarum artium habuisse Brunonem, Basilium et *Bonifacium* filios Io. Amerbachii." Vides, Zeltneri verba, utpote in universum posita, non contradicere Orellianis. Illud autem certum est, Beatum Basileae habitantem, Bonifacio Amerbachio Ioannis filio, codicem Murbacensem describendum concessisse. Veniam igitur impetrarat a monachis Murbacensibus ut illo domi suae uteretur.

Quum peracta iam libri impressione Burerius codicem Murbacensem a Frobenio acceperit: sequitur, et anno 1516, quo anno Amerbachius exemplum suum confecit, et anno 1520 Basileae fuisse librum ms. Murbacensem. Iam vero quaeritur, utrum Rhenanus Amerbachii exemplo retento ipsum codicem Murbacum remiserit; an et codicem et exemplum illud „presserit." Rhenani verba quorum mentionem fecimus codicem remissum esse arguunt *). Neque tamen inde colligi potest, eundem

*) Si confecto Amerbachii apographo codicem ipsum Murbacum remissum esse statuimus, fortasse coniectura assequamur licet cur Libri primi capita octo priora absint in codice Amerbachiano. Vid. Orell. ed. praef. VIII. Attendas quaeso ad id quod a mutila periodo incipiat Amerbachii liber: nam ante nonum caput lacuna est. Unde coniicimus, ea quae huic nono capiti praecedunt peculiari in folio conscripta primum non tradita esse Rhenano, utpote nondum inventa. Fortasse primum alio cum scriptore eodem volumine comprehensum fuerat Velleius, quo volumine denuo pervolutato cognoverunt monachi, illud quoque folium ad Velleium pertinere, unde postea quum iterum Rhenano traditus est Velleii codex, folium illud additum esse videtur. — Orellius quod vult: capita illa

codicem eo tempore quo Rhenanus novum et melioris notae librum inventum iri desperavit ideoque ad Velleium edendum se accinxit Seletstadium non esse transmissum. Nisi forte coniicias, eum ut codicem conferret Seletstadio Murbacum profectum esse. Munus quidem publicum nullum unquam gessit et Zeltnero auctore „opes ei speciòsae obtigerunt."

Quibus praemissis, non sine causa contendere mihi videor, „exemplar illud ab amico quodam Rhenani descriptum" typothetis Frobenianis traditum non esse. Verba autem illa supra allata ita puto esse interpretanda, ut adiecta illa „properanter ac infeliciter descriptum" caussam potius significent, qua ductus, codicem, quem minoris quam re vera esset pretii haberet, presserit, atque emendatius Merulae exemplar exspectarit. Puto equidem Rhenanum dicere: sibi exemplar illud ab amico descriptum ita imposuisse, ut codicem non statim ediderit. Neque enim video, quem alium in finem addiderit vv. *properanter ac infeliciter:* quippe quae nihil attineant ad lectorem.

Re, ut putabam, paene absoluta nova nobis dubitatio oborta est his Krausii verbis: „Rhenanus *ubi e codice inspecto* (quem igitur ad manum habebat!) facillima et manifesta erat correctio, coniectura medetur, eaque tam felici, ut codicis veram

inconsulto omissa esse ab Amerbachio, nisi sententiae meae modo dictae accedas ita fortasse tuebere, ut capita illa quae in Amerbachii codice non exstant in ipso involucro, ut fit in vett. codd., membranaceo conscripta Amerbachii oculos fugisse sumas.

lectionem assequutus sit.“ Vid. Vell. ex ed. Kraus. p. 52. Quid? num Rhenanus, postquam ipse codicem descripsit, coniectura incidit in ipsius codicis quem quoque temporis momento inspicere poterat scripturas? Rem satis miram narraret Krausius, dummodo vera esset. At vero quae ille pro ipsius codicis lectionibus, a Burerio relatis, habet, eae Burerii nescientis coniecturae sunt, qui codicis auctoritate inniti putaret quae Rhenanus margini ascripserat. Id quod plane perspicitur ex pag. 59 v. 23 Ed. pr.; l. II. c. 112 §. 3. Quo loco Editionis principis in oratione est: *dirigentibusque etiam ausa congredi;* in margine legitur: „Al's **aciem.* Ad haec Burerius: „exemplar, inquit, vetus habet, dirigentibusque aciem. lectio igitur marginalis reponatur in ordinem suum.“ At consulas Amerbachium, apud quem Orellio p. 128 ed. suae auctore vocabulum *aciam* superscriptum est vocabulo *aciem*, ut appareat, hac in re dubitationi locum fuisse, neque planum admodum fuisse utrum pro *etiam* an pro *aciem* accipiendum esset illud, quod haud dubie in codice exstitit, *aciam.* Efficitur ergo, Rhenanum ipsius codicis scripturam *aciam* utpote absurdam explicasse, Burerium vero, quum videret literas *ac* in v. *aciam*, Rhenani coniecturam, quippe quam pro certa haberet et explorata, confirmasse. Et saepe Burerius tacitas Rhenani correctiones si certae sunt tacitus tulit absurdasque et absonas codicis lectiones annotare omisit. Id quod nunc ea codice Amerbachiano compertum habemus. Ergo neque Rhenanus neque Burerius h. l. ipsam codicis utpote depravatam lectionem cum lectoribus communicavit.

Neque aliter, puto, iudicandum est de voculis *ad ea*, loco modo citato, sed versu 24 positis. Rhenanus legit *antea* et *at ea*, Burerius *at ea*; Amerbachius vero: *altera*. Vocabula *Altera pars* mente coniungenda sunt cum v. *pars*, praecedentis periodi ab initio posito.

Tertium quod Krausius, quo incuriae incuset Rhenanum, affert, legitur l. II. c. 68. §. 4 p. 41. v. 17 Ed. pr. At vero Rhenanus in ipso contextu dedit *Caese etiam*, ad marginem *Saesetium*. Burerius autem cum Amerbachio codici attribuit *Caesetium*; ergo Rhenanus ne assequutus quidem est codicis scripturam.

Iniuria igitur Rhenanus „exemplar illud properanter ad infeliciter ab amico quodam descriptum" Ioannis Frobenii operis tradidisse putatur. Quodsi concedas, simul dabis mihi, Amerbachii exemplum, quod et ipsum in officinam non venerit, posse quidem idem esse cum exemplari illo saepe commemorato: dummodo properanter ac infeliciter scriptum dici potuerit Rhenano. Quod quomodo accipiendum sit demonstremus.

„*Properanter*" quidem rem suam egit Amerbachius; etenim triginta amplius locis singula vel complura etiam codicis verba omisit *). Sunt autem hi: pag. 19, 19; pag. 17, 19; pag. 26, 23; pag. 38, 19; pag. 41, 16 (cfr. pag. 44); pag. 53, 7; pag. 60, 18; pag. 70, 26; pag. 73, 3; pag. 77, 2; pag. 78, 2; pag. 79, 12, pag. 79, 13; pag. 87, 2;

*) De libri primi capitibus octo prioribus, Orellii ex sententia *inconsulto* ab Amerbachio omissis, dixi in nota p. XII.

pag. 96, 1; pag. 99, 11; pag. 99, 28; pag. 106, 14; pag. 111, 11; pag. 113, 1; pag. 119, 1; p. 119, 12; pag. 120, 9; pag. 120, 12; pag. 125, 9; p. 146, 2. Adde tres locos quibus librarii culpa idem verbum bis positum legitur: pag. 12, 17; 45, 12; 52, 8.

Sed quaeritur, an „*infeliciter*" quoque scripserit Amerbachius. Orellius ipse in codice Amerb. „multos errores feliciter ab Rhenano correctos exstare" profitetur. Et pag. 29, 3 ed. Orell. Amerbachius revera *vicini* edens, infeliciter ingenio suo indulsisse videtur. Quid quod idem viginti fere locis mea quidem sententia a vera ἀρχετύπου lectione aberravit: Cfr. enim p. 10, 8; p. 27, 2; p. 45, 12; 47, 1; 48, 21; 60, 13; 69, 28; 73, 1; 75, 15; 80, 9; 91, 27; 118, 8. 13; 140, 11; 140, 27; 145, 25.

Quapropter nobis quidem codex Amerb. exemplar illud properanter ad infeliciter ab amico quodam Rhenani descriptum esse videtur. Neque tamen ideo quia Rhenanum ita de apographo Amerb. iudicasse censemus, ei iudicio nos quoque accedimus. Iniustius haud dubie de pretio exempli Amerbachiani iudicabat. Quod ut paucis ostendamus, aggrediamur ipsum codicem Amerb. Ne multa, minime negamus, immo gratissimo erga Orellium animo agnoscimus, κρίσιν Velleianam novi exemplaris ope aliquanto solidiore fundamento niti. Locos quadraginta annotavimus, quibus novus codex sine dubio ipsam eamque veram ἀρχετύπου Murbacensis scripturam exhibet, et quorum haud pauci

novis interpretationibus emendationibusque ansam praebebunt. Sunt hi: p. 8, 5. 13, 14. 18, 2. 24, 16. 34, 11. 42, 5. 44, 11. 45, 12. 46, 6. 47, 11. 48, 7. 50, 6. 54, 14. 61, 4 (ad quem locum cfr. Pertzii librum inscriptum: ital. Reise) 62, 22. 70, 23. 77, 21. 78, 7. 85, 23. 90, 13. 99, 20. 100, 20. 103, 9. 104, 24. 116, 23. 118, 11. 22. 120, 3. 17. 121, 7. 8. 127, 3. 128, 2. 130, 10. 132, 18. 144, 16. 145, 21. 149, 11. Quorum locorum numerum pluribus etiam adaugere haud dubie licebit.

Futuris autem Velleii Editoribus non possumus quin proponamus locos quosdam qui verine sint necne dubii haeremus. Hos dicimus: p. 15, 9. 18, 8. 23, 20, 32, 11. 34, 19. 35, 11. 37, 1. 46, 3. 49, 6. 52, 10. 22. 54, 1. 57, 19. 63, 12. 78, 4. 89, 9. 12. 101, 12. 136, 15. Pag. 89 versu 9 et 12 fortasse Burerii correctiones sunt.

Non contemnenda sunt ipsius Amerbachii et Orellii in Velleium merita. Ille enim etsi saepissime properanter scripsit, tamen haud raro egregias protulit coniecturas, v. c. pag. 22, 17. 25, 3. 34, 11. 17. 35, 17. 40, 7. 46, 6. 48, 15. 54, 11. 56, 6. 58, 6. 17. 64, 17. 65, 14. 70, 11. 87, 11. 90, 3 [24]. 96, 16. 97, 8. 100, 14. 117, 22. 120, 4. 126, 3. 143, 1. 145, 18. His omnibus locis Amerbachium ingenium suum non codicem eumque iure sequutum arbitramur.

Eundem vero Amerbachium postquam edita est Editio princeps, suum apographum sua manu ex illa Rhenani editione correxisse, et saepenumero Rhenani lectiones suis etiam praetulisse, effici vi-

detur ex his locis: p. 40, 5. 46, 6. 51, 18. 55, 1. 60, 13. 80, 24. 87, 1. 112, 5. 131, 14. 136, 16. 138, 20. Qui loci quum omnes Rhenani lectiones Amerbachianis superscriptas praebeant, non est, quod cum Orellio statuamus, eos antequam Editio princeps prodierit correctos mutatosve esse.

Orellius V. Ill. quantum in Velleio edendo praestiterit pluribus exponere longum est. Egregias autem coniecturas quas et ipse fecit complures et ab amicis suis aliisque VV. DD. factas elegit aut in pristina iura restituit silentio praeterire religioni ducimus. Omnium facile praecipuae sunt et palmariae quae leguntur p. 12, 17. 34, 3. 46, 26. 62, 22. 74, 13. 77, 20. 105, 6. 118, 11. 144, 16. Pagina 123, 27 est pulcherrima Sauppii coniectura. Et maxime arrident quae pag. 48, 15; 50, 6 Handius et Puteanus obtulerunt.

Priusquam praefationis huius ad finem properemus, Burerii etiam fidem Amerbachiani codicis auctoritate impugnatam tueri in animo est. Concedimus quidem propter aliquot locos, ubi veram lectionem praebet codex Amerbach., Burerium ἀβλεψίας esse accusandum; confitemur etiam, nos propter mirum qui pag. 89, 9. 93, 22 est lectionum Rhenaniarum et Amerbachianarum consensum dubios haerere, utrum his an Burerio fidem habere debeamus: illud tamen nobis persuasum est, una in re iniustius in Burerium invectum esse Orellium. Dicit enim codicis Amerb. ope tacitas Rhenani interpolationes detectas esse l. II, 15, 2, 26, 3. 27, 5. 38, 6. 47, 3. 57, 1. 120, 2. Quod si verum est, sequitur, Burerii incuriam has Rhenani interpola-

tiones non annotasse. Verum hos omnes locos sanos esse equidem in Animadversionibus huic libro adiiciendis ostendere conabor. Denique quod ad ipsum codicis Murb. scriptorem attinet, dormitavit quidem saepe, neque tamen omnia quae editoribus et qui fuerunt et qui erunt scrupulum iniiciunt vitia solus commisisse putandus est. Nam complures errores ab eo inde tempore in textum Velleii irrepserunt quo maiusculis literis scribere utebantur. Vid. Kraus. ed. pag. 54. Testatur Burerius ad II. 29. codicem Murb. literis minusculis, cursivas vocant, scriptum esse: nobis autem ex tabella quam libro annexuimus effici videtur, librum illum fortasse Seculum XIV non excessisse. Omnia enim quibus usi sumus signa ad hoc sec. pertinent.

Quae cum ita sint, codicem Amerbachianum si non plane aequemus Burerii auctoritati, tamen nullo modo vili pendendum esse ducimus. Editione Rhenani et annotatione Burerii simul cum exemplari nuper edito Amerbachiano utantur necesse est futuri Velleii Editores.

Operae etiam pretium erit animum advertere ad varias quae in ipsa Editione principe reperiuntur scripturas: quod his diebus non sine utilitate fecit Orellius.

Ruhnkenius primus vidit, in duobus quae inter se conferre solebat editionis Rhenanianae exemplis binis locis varias exstare lectiones. Eandem rem Orellius accuratius etiam perscrutatus, quattuor iam inter se differentia exemplorum genera reperit. Contulit enim duo quae Turici sunt exempla, alterum notatum XXVI, 36, alterum R. 81, tertium

Basileense; quartum denique a Meiero collatum refert.

Nobis autem huic quattuor exemplorum collationi alia etiam duo exempla ut adderemus contigit. Duorum enim Virorum Summorum Liberi Baronis Steinii ab Altenstein, Administri regii Borussici Wilkeniique Ill. humanitate humanissime nobis concessum est, ut quod Lehmanni Cl. nomine petieramus, a regia bibliotheca Berolinensi huc transmitteretur quod isthic est Editionis Velleianae principis exemplum. Quo cum eo quo patria bibliotheca ornata est exemplo comparato, eodemque simul cum Orelliana exemplorum collatione composito, edoctus sum duo illa exempla et inter se et a reliquis libris discrepare.

1. p. 3. v. 11. Chalcide Erethryam] Turic. XXVI. 36. Chalcida Erethriam. Turic. R. 81. Basil. Meier. **Hamburg.** et Berol.
2. p. 30 in marg. al's destituerit nisi paulo ante velis legere obtinebant] Exempla omnia, (non excepto Berol.) praeter Basil. et **Hamburg.**
3. pag. 40 v. 7 ab ima pag. *ne deflere*] Turic. utrumque. Berol. Meier. *nec deflere* Basil. et **Hamburg.**
4. pag. 68 marg. v. 9. *fuste*] Turic. utrumque. Berol. Meier. *fusti* Basil. et **Hamburg.**
5. p. 68. marg. v. 9. *Tacitus Rhescuporim*] Turic. utrumque. Meier. et **Hamburg.** et Berol. *Tacitus Rhescuporim.* Basil.
6. In Burerii Appendice critica pag. 1. v. 2. *erratululum*] Turic. XXVI, 36. Meier et **Hamburg.** *erratulu^{m}*] Turic. R. Berol. 81. Basil.

Apparet in exemplo Hamburgensi quater eadem legi quae sunt in libro Basileensi; bis autem alia. Namque in Basil. legitur *Rescuporim*, in Hamburg. *Rhescuporim*, in Basil. *erratulu*ᵐ, in Hamburg. *erratulum*. Berolinense autem exemplum bis differt a Basileensi, nimirum *fuste* praebet et *Rhescuporim*. Hinc iure meritoque concludere licet, editionem principem iterata vice typis non esse exscriptam; nam si *iterata* vice e prelo prodiisset, eandem, quae, ut Orellius docuit, quater repetita fuisse putanda esset, ex collatione mea *sexies* impressam esse sumeres.

Ceterum quod ad rem ipsam attinet, rectissime Orellius: „Cum autem, inquit, plagulae correctae vario modo cum ceteris permiscerentur, fieri debuit, ut ita variarent varia editionis pr. exempla quemadmodum vides ex tabula proposita“ *).

Quam rem quum animo volutarem, a Georgio Friedlaendero, bibliothecae regiae Berolinensis Custode doctissimo, Viro summae comitatis et humanitatis, omnibusque qui bibliothecam illam adeunt nunquam non egregie comprobatae, per literas certiores facti sumus, primis post typographiam inventam temporibus haud raro factas esse eiusmodi librorum impressorum correctiones. Simul monstravit mihi Ebertum in lexico ad numerum 7070 et 11189. Et Friedlaenderus et ad num. 7070 Ebertus correctiones illas ita factas ostendunt, ut

*) In eo quod nos contulimus, exemplo Hamburgi asservato pag. 40 v. 24 legitur *nec deflere*. At in Burerii Emendationibus Velleianis haec exstant: Pag. ea (40) v. 24 *ne deflere quidem*] ex. vet. habet, *nec deflere quidem*. Elucet Burerium quum Emendationes illas perscriberet, plagula illa serius correcta non usum esse.

peracta omni impressione, et typis iam discussis, folia nova denuoque compositis typis orta eaque emendatiora in locum aliorum substituta sint. Dicunt igitur usurpatas esse chartas illas quas nos dicimus „Cartons."

Quod omnino unquam factum esse negare vix ausim: ex nostra vero Berolinensis exempli cum Hamburgensi collatione illud pro comperto habemus, correctiones illas non post typos iam discussos, sed in ipsis tabulis ferreis typis etiam consitis factas esse. Singulis enim in paginis singula verba singulaeque literae eadem in uno qua in altero exemplo forma sunt; idem in singulis versibus verborum numerus est, eodem modo abruptae sunt voces, eodem abbreviatae. Quare fortasse interest bibliographorum, disquirere, an idem quod in Velleii Editionem etiam in alios omnes ab Eberto commemoratas libros cadat.

Trendelenburgius V. Cl. quum Hamburgi esset mihi sese eandem rem in sua Aristotelici libri de anima conscripti editione attigisse ostendit. Qui Vir pag. XVII „Exstitit, inquit, nuper V. D. *) qui esse aliquam exemplorum Aldinorum discrepantiam docens duplicem impressionem statueret."

Petersenius quoque, quem laudare p dor vetat, conferri iussit Beckeri librum, inscriptum Literatur des Demosthenes; P. I. p. 86; P. II. p. 221 et Hoffmanni lexicon Vol. II. p. 11–13. Adii etiam Ebertum ad num. 5936 eandem rem tractantem. Describuntur enim his locis et in examen vocantur duae tresve Aldinae Demosthenis editiones. Varias et

*) „Dr. Postolacka in libello Wiener Jahrb. 1831 fascic. 2." Trendelenburg.

Aristotelis et Demosthenis editiones pro singulis tantum habere ex argumentis allatis licebit.

Iam candido lectori valedicturi, de libelli huius nostri rationibus pauca nobis addenda esse opinamur. In Velleio meo denuo perlegendo coniecturas hic illic legenti obortas in adversaria mea conieceram; quorum numerus quum mihi postmodum satis amplus esse videretur, non indignas illas habui quas in peculiari quodam libello coniunctas VV. DDrum iudicio submitterem. Quas calamo exaratas quum iam typothetae tradidissem, ecce, Orellii Ill. Velleius ad me pervenit. Cuius si in ipso opere non eam semper quam merebatur rationem habuimus, condonabis hoc mihi angustiis temporis valde presso. Animadversionibus quas in Orellii editionem scriptas libello meo annexui quantum fieri poterat omissa neglectaque compensare studui. Neque fidem, opinor, meam addubitabis, quum bis eadem quas alii VV. DD. iam antea sed me inscio proposuerant coniecturas in medium protulerim.

Tabulam autem lithographicam ideo libro adiunximus, quod quum nostra maxime interesset, ut lectorum sub oculos subiicerentur signa diplomatica, quae a librario Murb. perperam lecta et deturpata putaremus, maiora quibus usi sumus opera diplomatica non omnibus VV. DD. praesto esse arbitrabamur.

Indicem singulorum a nobis tractatorum locorum subiecimus, ut uno sub obtuitu conspiceres, quinam scriptoris loci nobis manu emendatrice egere viderentur.

Denique gratissimo animo profiteor, me in hoc opere a compluribus amicis humanissime adiutum esse. Quorum unus, Meier Isler, non solum maiori ex parte librum manuscriptum, sed et plagulas expressas acutissimis quibus gaudet iudicio oculisque percurrit. Is enim quum primus omnium aliquot coniecturas (non omnibus enim subscribit) assensu suo comprobasset, ea me audacia affecit, ut hunc libellum offerrem Philologis, quem aequi bonique consulant etiam, atque etiam rogamus.

CAPUT I.

Vell. I, 17. 5.

Codex Murb. sic habet: „*Huius ergo recedentis mq. seculum ingeniorum similitudines congregantesq. se & in studium par, & memolumentum causas cum semper requiro, nunquam*" Ed. pr. p. 11.

Iusto fidentius h. l. Ruhnkenius, cuius alioquin cautionem quis est qui possit abunde laudare? haec in textum admisit: „Huius ergo praece„dentisque seculi ingeniorum similitudinis congrega„tionisque et in studium par et in emolumentum „causas" et q. s. Nonne ingrata ista tot genitivorum coniunctorum iteratio? nonne violenta eorum, quae editio princeps exhibet, verborum non correctio, sed commutatio?

Neque vero sententia apta totique accommodata capiti. Apparet enim, haec verba eam, quae ineunte capite XVI. pronunciata sequentibusque exemplis explicata erat, sententiam quasi denuo colligere, ut h. l. sit ἀνακεφαλαίωσις; addita tamen nova quadam — de qua mox dicturi sumus — conclusione.

At vero (id quod in Ruhnkenium dico) quae modo dicta erant excellentia ingenia, ea non

Velleiano solum quodque illi antecessit seculo, sed multis etiam seculis ante floruerunt. Laudat enim Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, commemorat Caecilium, Terentium, Afranium, duobus fere seculis semetipso maiores.

Rectissime igitur a Ruhnkenio discessit Krausius V. D., in eo tamen vituperandus, quod et ipse quae invenerit, quamvis Ruhnkenianis vix meliora, in textum recipere non dubitarit. Mihi enim, quae profert: „recedentis in quoddam seculum" nullum nedum iustum sensum praebere videntur. Sed sui cuique liberi cari et fortasse idem in me dicetur.

Alia enim mihi in mentem venerunt. Primum omnium ex altera praecedentis capitis paragrapho constat, Velleium mirari, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia ita semper similibus sese adiunxerint, ut eodem plane modo omnes iisdem studiis operam dederint. Atque sane praestantissimi cuiusque ingenii esse videtur, summa cum libertate suam sibi viam aperire; et subit, opinor, cuiusque animum mirari, quod — ut exemplo utar — Aeschylus, Sophocles et Euripides ad tragoediam quisque animum appulerint, quum in quolibet poesis genere et Sophocles et Euripides excelsurus haud dubie insignisque fuerit. Deinde saepe ex semetipso se quaesivisse testatur Velleius, quomodo fieret, ut singulae similium ideoque coniunctorum ingeniorum societates brevissimum tantum temporis spatium perdurarint? Putarat enim, quod semel inceptum esset inventumque artis cuiusque doctrinaeve genus, illud per omnia deinceps

secula adamari exigique et excoli debuisse. Ita — ut iam persequamur quod modo usurpavimus exemplum — quamdiu poetae Graeci exstitissent, nunquam cessasset tragoedia, et infinita tragicorum series sequuta fuisset Aeschylum eiusque aequales. Huc respiciunt illa: „artati temporis spatium," huc, quae proxime praecedunt, nullo illa iure mutata: „Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribusque, quisquis temporum instituerit notis, reperiet: *eminentiam cuiusque operis artissimis temporum claustris circumdatam*" [1]). Adde quae egregie favent iis quae statim proposituri sumus: „Historicos minus LXXX annis circumdatum aevum tulit."

Quae loci sententia ut expediatur, legendum propono:

> „*Huius ergo excedentis nunquam seculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium par et in emolumentum, causas.*"

Cuius emendationis ad sensum quod attinet, facile omnes vident, Velleii ex sententia singula virorum ingenio excellentium paria — memineris, quos una nominavit Velleius, Aeschyli, Sophoclis,

1) Ed. pr.: „Adeo quidem artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint." In vocab. *artatum* haerentes Interpretes alius alio infelicius coniecturas captasse videntur. Equidem si mecum *artati sunt* scribendum censeas subintelligo oratores. Quamquam retento voc. *artatum* fortasse etiam praecedens illud *clarum* subaudiri potest.

Euripidis — nunquam seculum superasse, sed (ut ipsius Velleii verbis utar) „adeo quidem artati sunt [2]) angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint.“

De significatione vocabuli *emolumentum* Krausius recte conferri iubet alteram capitis 16 paragraphum. Dicitur enim h. l. lucrum quod progressibus factis percipiant eminentissima cuiusque professionis ingenia. Quippe imitatione accensa, stimulos sibi invicem admovere putantur [3]).

De diplomaticis argumentis quaerentes attendant, velim, facilem syllabae *ex* in *re* convertendae mutationem. Neque etiam negabit, opinor, quisquam, verbi *nunquam* compendium [4]) perperam sive scriptum sive lectum in id, quod exstat, *mq.* abiisse [5]).

[2]) Ita, si me audis, corriges haec Editionis principis: „Adeo quidem artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint.“ Vid. Ed. pr. p. 10.

[3]) Ita — ut exemplo utar — Cicero pro Mil. c. 12: „Boni, inquit, nullo emolumento impelluntur ad fraudem, improbi saepe parvo.“ Et idem Fam. 7. ep. 10 ad fin.: „Si tibi esse id emolumento sciam.“

[4]) Vid. *Lexicon Diplomaticum, studio Joannis Ludolfi Waltheri. Gottingae 1747.* columna 233. Iis autem quibus non praesto est aureus ille Waltheri liber, commendamus, quam ad calcem libri adiunximus, tabellam, omnia quorum mentionem fecerimus signa diplomatica lithographia expressa exhibentem.

[5]) Nisi vererer ne in me dicatur quod Falkio auctore in philologos plerosque omnes increpare solebat Goethius, pluribus exponerem, cur neque Ruhnkenio neque Burmanno de iis

CAPUT II.

Vell. I, 17. 4.

Haec ad undecimam editionis principis paginam Burerius: „Exemp. vet. sic scriptum habet: *pictoribus, scalptoribusq. uisquisq. temporum institerit notis.*“ Et infra: „Exemplar vet. sic habuit, *reperiet eminentia cuiusq. operis artissimis temporum claustris circumdatam.*“

Interpretes, quorum alii *„reperiet et eminentia — circumdata,“* alii eadem, sed omissa copula, typis excuderunt, in errorem inducti sunt a Rhenano, legente: „Hoc idem evenisse — *scalptoribus, quisquis* temporum notis institerit reperiet *et eminentia — circumdata.*“ Nos scribatur suademus: „Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribusque, quisquis temporum institerit notis, reperiet: *eminentiam cuiusque operis artissimis temporum claustris circumdatam.*“ Haec enim ipsa, quae periodum claudunt, „eminentiam c. o. a. temporum claustris circumdatam,“ epexegesi inserviunt illis, quae statim praecedunt: *„Hoc idem evenisse;“* poteratque Velleius aliis verbis dicere: Hoc idem, videlicet ut eminentia cuiusque operis artissimis

quae capitis XVI ad sententiam disputant accesserim. Nunc autem haec tantum quin addam nequeo mihi temperare: Velleium, si nostra aetate floruisset, multo facilius quaestionem, quam posuit, soluturum fuisse, quum nunc omnes fere disciplinae historicorum studio unum sub aspectum subiectae sint.

temporum claustris circumdata fuerit, evenisse grammaticis —, quisquis — institerit, reperiet. Quod qui non negent, concedent, copula *et* intrudenda, et verbo *circumdatam* in *circumdata* decurtando nihil opus esse.

De illo autem, quod legimus, „*scalptoribusque quisquis*“ infra dicemus.

CAPUT III.

Vell. II, 7. 6.

„*Factum Opimi, quod inimicitiarum quaesita erat ultio, minor sequuta auctoritas. Et visa ultio privato odio magis, quam publicae vindictae data.*“ Ed. pr. pag. 15.

Saepenumero accidit, ut librarius Murbacensis, verbi alicuius vel literas vel compendium non satis perspiciens, oculos ad sequentes versus converterit, itaque sibi fortuita binorum verborum similitudine imponi pateretur. Quo factum, ut h. quoque l. vocabulum „actio,“ quod, ni omnia me fallunt, ab ipso Velleio profectum erat, in id, quod Rhenanus tradidit, „ultio“ immutaret librarius. Legendum est enim:

> „*Factum Opimii, quod inimicitiarum quaesita erat actio, minor sequuta auctoritas. Et visa ultio privato odio magis, quam publica vindicta data.*“

Hoc sensu: factum Opimii, quia erat studiose captata et circumspecta inimicitiarum satisfactio, qua

ipsae inimicitiae exercerentur, minor sequuta auctoritas. Etenim factum illud privati magis odii, quam publicae vindictae esse videbatur.

De voce actio, eo quo velim sensu usurpata, haec habeo quae afferam exempla: „Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat." Cic. Off. I. 35. — „Negatis, actionem ullius rei posse in eo esse." Cic. Acad. 2, 33. 108. —

Vides autem, mea ex sententia participium illud *quaesita* non verbi, quod grammaticis dicitur, sed adiectivi instar appositum esse nomini substantivo. —

De verbis *publicae vindictae* paullulum a me mutatis vix est quod dicam. Nimirum publica vindicta privato odio opposita, verbum autem, quod exstat, *data* quum proprie ad ultionem tantum referri possit, per figuram συνεζευγμένον additum est.

Denique Ruhnkenii coniecturam „relatio" — ne dicam de aliis aliorum criticorum tentaminibus — facilitate superat nostra.

CAPUT IIII.

Vell. II, 11. 2.

„Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum; virtutique cognomen Numidici indictum." Ed. pr. pag. 16.

Haud displicuit Ruhnkenio Ortvini et Gruteri coniectura: „et meritum virtute ei cognomen Numidici inditum." Sed elegantius, opinor, scriptuque facilius foret:

„*Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum virtuti eius cognomen Numidici inditum.*"

Ita in libro II. c. 16 p. 120 ed. Ruhnk. Velleius: „Cuius pietati plenam populus R. gratiam reddidit." Conferatur etiam, si tanti est, de v. *meritum* quod Ruhnkenius sumpsit exemplum: „*Qui meritum cognomen Pii consequutus erat.*" Krausianam vero lectionem „et meritum virtute utique" aliorum ex coniecturis conflatam, natamque ventis, ventis reddamus.

Et vix est, quod dicam, notam eiq (eius) facillime pro litera q. (que) accipi potuisse.

Neque religio erit ponere h. l. alia atque Rhenaniana interpungendi signa. Langueret enim oratio si quis — quod mihi quoque olim in mentem venit — scriberet: et triumphus fuit clarissimus, et meritum (sc. clarissimum fuit): virtutique (s. quippe) eius cognomen Numidici inditum. Recte enim Krausius animadvertit, iis quae capite 15 §. 4. legerentur: „*Metellus, qui meritum cognomen Pii consequutus erat,*" tamquam memoriter ab hoc, quem tractamus, loco repetitis ostendi, verbum *meritum* participium esse, non substantivum. Accedit, quod vocabulum meritum eo quo volumus sensu, ut sit francogallorum „le mérite" singulari numero positum vix reperiatur. —

CAPUT V.

Vell. II, 15 1.

„In legibus Gracchi inter pernitiosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Id maiores (cum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocaea, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto genitali solo) diligenter vitaverant, et C. R. ad censendum ex provinciis in Italiam revocarint.“ Ed. pr. pag. 18.

Haud scio an non scribendum sit:

> *„Id maiores — diligenter vitaverant, ut* **contra** *Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint.“*

Ruhnkenio placuit Acidalii coniectura: *„et cives Romanos-revocaverant;“* mihi non item. Hic enim loci sensus est: Romanos veteres publice ex patria non solum non dimissos esse, sed et qui in provinciis degerint censeri Romamque ad id revocari solitos; ita ut cives Romani nunquam non nexu, quem ICti dicunt, civitatis Romanae obligati fuisse videantur. Quapropter colonis extra Italiam deductis commode opponuntur Romani in Italiam revocati; neque erit, quod neges, particulam *contra* huic loci sensui bene convenire.

Adde huc, si placet, vocabuli *civis* nullum exstare compendium, quale est illud C. R.; particulam vero, quam suademus, *contra* quum aliis multis notis tum sola illa litera c scriptam esse [6]. Denique nostra si vera est

[6]) Vid. quod in tabella nostra exposuimus signum, quod mirum est quam prope accedat literae maiusculae C.

emendatio, nihil opus est mutare verbum *revocaverint*. Rhenani ni fallor error sequentes Interpretes fefellit omnes.

CAPUT VI.

Vell. II, 16. 3.

„Cuius de virtutibus cum alii, tum maxime dilucideque Q. Hortensius in Annalibus suis retulit. Cuius ille pietati plenam P. R. gratiam retulit." Haec Burerio teste in cod. Murb. legebantur, nunc exstantia in Ed. pr. p. 18.

Optime, quem quanti faciam vix dicere possum, Heinsius Cl. ingratam h. l. vocis „*cuius*" repetitionem notavit. Sed quod eidem placuit verae lectionis instar lectoribus proponere „*huius*," inducto vocabulo „*ille*," quod sequitur: illud et ipsum durius, ni fallor, istoque *cuius* vix praestantius est. Arridebit fortasse verborum cuius ille in „*quin illius*" mutatio facienda.

Quid enim? nonne clarum est, gradationem inesse sententiae h. l. enunciatae? Non memoriae tantum mandata, sed et praemiis affecta dicitur viri illius in patriam pietas.

Neque concesserim Krausio V. D. vocem *huius* ipsius Velleii auctoritate niti, quum loco illo quem excitat (c. 46 §. 2 & 3) non voces *Cuius* et *Huius* sed *Qui vir* et *Hunc* coniunctas ordiantur periodos.

De voce *cuius quin* corrigenda ipse mihi adest Ruhnkenius, qui etiam nonagesimo quarto huius libri capite (§. 4) particulam *Quin* pro eo quod

vulgo legebatur *cuius* primus et invenit et scripsit. Et conferantur, si placet, quae Krausius editionis suae p. LXVIII collegit exempla.

De voce *ille* in *illius* mutata etiam verbum addere longum est.

CAPUT VII.

Vell. II, 25 et 26.

„*Adeo enim Sylla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum vincit, ac iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. Nam ut cos. (ut praediximus) exarmatumque Sertorium proh quanti mox belli facem? & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumeis (credo ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum) posuit victoriam, qua demendesmontem ti fata cum C. Norbano concurrerat Sylla, gratus Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit aquas, salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omneis adduxit, deae huius gratae religionis memoria, & inscriptio templi adfixa posti. Hodieque crabula testatur aerea. Interea Coss. Carbo III et C. Marius septies cos. filius annos natus XXVI. vir animi magis*“ *et q. s. Ed. pr. p. 22 et 23.*

Nullius aciem fugit, quantum sibi laudis compararint, qui ex ista absurdarum syllabarum mole veram vel certe tolerabilem eruerint lectionem. Quorum laudi quamvis equidem nihil omnino detraxerim, confiteor tamen, periodo illa, quae vulgo fertur, *Huius gratae* et q. s. iusto citius Interpretes ad unum omnes acquievisse.

Neque enim quamvis renitente Burerio dubitarunt haec in textum recipere: *et tabula testatur aerea intra aedem. Deinde coss.* At vero non vilipendenda erant Burerii: *& crabula testatur aerea. Interea deinde.* Hoc enim sub luto latet (mihi crede) verae lectionis, ut ita dicam, margarita. Sed priusquam hanc expiscari conemur, perpendamus necesse est, quibus de caussis (etiamsi discesseris ab auctoritate et codicis et Burerii summa alioquin fide dignorum) dimittendam prorsus spernendamque censeamus Krausii aliorumque lectionem. Itaque quid sibi vult tabula ista aerea intra aedem, ut volunt, servata? Estne inscriptio aerea? Goettius certe V. D. vertit: „Eine eherne Tafel.“ Ergone et inscriptio illa, posti templi affixa, tabula est? Etenim affiguntur nonnisi tabulae. Verba autem, quae vulgo feruntur, *intra aedem* opponuntur illis: *templi posti.* Atque nonne, si haec reapse Velleiana essent, rem simplicissimam necessario verbosius exposuisset? Mihi quidem nihil clarius, quam eum hunc in modum expressurum fuisse sententiam illam: Huius gratae religionis memoriam et templi posti et intus affixae testantur inscriptiones.

Sed dicet fortasse quispiam: tabulam aeream non inscriptionem esse, sed tabulam pugnae imaginem referentem. Quod quamvis minime negarim, explicetur tamen, quaeso, quid sibi velit adiectivum *aerea?* — Tabulae aereae etiam apud Suetonium (Vesp. 8.) commemorantur tamquam inscriptiones quippe quibus contenta fuerint SCta et plebiscita. — Quare de tabula aerea anaglypta vix erit cogitandum.

Quae quum ita sint, nulla amplius dubitatio erit, verum esse quod nobis in mentem venit:

„*Cuius gratae religionis memoriam et inscriptio templi affixa posti hodieque, et tabula testatur in area interna.*

Areas etiam aulas esse, et impluvia s. loca aperta, in mediis quoque — id quod probe attendendum — aedificiis sita, edocti sumus locis duobus, quos ad Vitruv. l. VI c. III 1. inter alios multos attulit Vir in paucis eruditus I. G. Schneiderus. Sunt autem hi: *Festus* de atrio ita tradit: Atrium proprie est genus aedificii ante aedem continens *mediam aream*, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit.“ Et. q. s. — Alter est locus *Plinii* iunioris Epp. II, 17. 4. „Villa usibus capax non sumptuosa tutela: cuius in prima parte atrium frugi nec tamen sordidum: deinde *porticus* in D literae similitudinem circumactae, *quibus* parvula sed festiva *area includitur*, egregium adversus tempestates receptaculum. Est contra medias cavaedium hilare: mox triclinium satis pulchrum quod in littus excurrit.“

At templis quoque in mediis construebantur *areae*. Audiamus enim haec Vitruvii:

„Dipteros autem octastylos et pronao et postico, sed circa aedem duplices habet ordines columnarum, uti est aedes Quirini Dorica et Ephesiae *Dianae* Jonica a Chersiphrone constituta. Hypaethros vero decastylos est in pronao et postico: reliqua omnia eadem habet quae dipteros, sed interiore parte columnas in altitudine duplices, re-

motas a parietibus ad circuitionem ut porticus peristyliorum. *Medium autem sub divo est sine tecto*, aditusque valvarum ex utraque parte in pronao et postico. Huius autem exemplar Romae non est, sed Athenis octastylos, et in templo Olympio. — Hanc autem formam ei quoque, quod Velleio teste Sulla exstruxit, Dianae templo fuisse nisi constat at certe coniicere licet ex his Vitruvii: „(Decor perficitur) statione quum Jovi Fulguri et Coelo et Soli et Lunae *aedificia sub divo hypaethraeque* constituuntur. — Junoni, Dianae, Libero patri — si aedes Jonicae construentur, habita erit ratio mediocritatis." [7])

Vides igitur, mea opinione verbis *in area interna* significari Graecorum ὕπαιθρον. Cuius loco Romanos sive in universum *aream*, sive *mediam aream*, sive denique *aream internam* dixisse apparet, opinor, ex allatis Vitruvii, Festi Velleiique verbis.

Quae quum iam satis certa esse viderentur, rem plane absolvit expediitque locus ab amico doctissimo humanissime mecum communicatus. Gothofredo enim ad Festum s. v. area auctore haec leguntur in glossis veteribus: *area*] αὐλή, προστιὰ, ὕπαιθρον, ἅλως. Restat ut commonefaciam lectorem, a me insertam esse praep. *in*, natam, opinor, ex litera i, quam omiserit librarius. Ceterum si per grammaticam fieri posse putes, nihil moror quo minus scribas, *tabula areae internae*.

[7]) Leguntur haec ap. Vitruv. l. I. c. 2. sect. 5., illa l. III. c. 2. sect. extr. ex ed. Schneid.

Tabula autem quum ex emendatione nostra sit tabula coloribus picta, hic loci sensus evadit: Pugnae memoriam et inscriptione templi posti affixa, et tabula in area sub porticibus pendente pugnaeque imaginem referente servatam esse.

Vocabulum *hodie* quum ad ipsum verbum *affixa* pertineat, suo loco stare videtur.

Ad finem capitis progressus, non possum quin signem calamo, quomodo quae initio posui codicis verba corrigenda putem:

Adeo enim Sylla dissimilis fuit bellator ac victor, ut dum *vinceret*, iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. Nam et Consulem (ut praediximus) *exarmatum Quintumque* Sertorium (proh quanti mox belli facem!) et multos alios, potitus eorum dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. Post victoriam, qua descendens (*defendens?*) montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla grates Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit.

CAPUT VIII.

Vell. II, 26.

Iis quae modo praecesserunt pro viribus ostendere conabamur, legendum esse *in area interna*. Nunc iam ad sequentia animum convertamus.

Nemo non intelligit Rhenanum quam facillime confundere potuisse verba quae Burerio auctore in cod. exstabant cum iis, quae ipse exhibuit. Dedit igitur „*intra aedem. Coss.*" quum, codicis vestigia sequutus, scribere debuisset *interna. deinde.* Accedit, quod fortasse ne *deinde* quidem, sed simplicius *dein* scriptum fuit, unde facillime syllaba *dein* pro finali vocis *aedem* syllaba haberi potuit.

Iam non ineptum fore videtur, attingere, quod supra certis de caussis omisimus. Religio enim esse possit mutare h. l. interpungendi signa. Krausium certe V. D. si audis, Ed. principis interpunctio iam inde ab ipso codice Murb. originem repetit suam. At errat Krausius, nulloque, opinor, iure sive neglexit sive pro irritis habuit diserta illa Beati Rhenani verba: „Ausim iurare, eum, qui illum (codicem Murbacensem) descripserat, ne verbum quidem intellexisse: adeo omnia erant confusa *absque ullis punctis aut distinctionibus.*" [8]) Quod enim Krausius ad l. II c. 113 1. II 25 extr. Burerium testatum putat, aliam in Ed. pr. atque in ipso codice expressam esse Interpunctionem: illud errore ductus pronunciavit. Quid enim? nonne eodem iure quo Rhenanus Burerius suo ex iudicio interpungere poterat, quod tanquam veram cod. Murb. lectionem lectoribus proposuit? — Neque aliud quidquam agit candidissimus ille cautissimusque vir, quam ut una cum illa codicis lectione aliam quoque atque quam

[8]) **Quae Beati verba satis confirmari videntur iis, quae ad pag. 9. v. 15 Ed. pr. dixit Burerius.**

Rhenanus dedit interpunctionem, quam dicunt, praebeat? Sed tamen minime propter solam hanc interpunctionem, utpote ex ipso codice ortam, annotationes illae, quas pro argumentis posuit Krausius, scriptae sunt. Quod ipsis Burerii verbis demonstremus:

„Ad pag. 60 ver. 5. *quantum in haec vides, Principes* &c. Ex. vet. sic habet, & recte quidem, ut mihi videtur. Accipe nunc M. Vinici tantum in bello ducem, quantum in pace vides *principem.* Iunctis exercitibus &c."

Paullo accuratius utriusque et Ed. principis et Burerianae annotationis lectionem intuenti patescet, Burerium et hoc, quem transcripsi, et altero, quem Krausius commemorat, loco lectionis tantummodo varietatem de more suo annotasse, interpunctioni vero tacite, eodem quo Rhenanus iure usum, manum emendatricem admovisse. — Ad pag. 60 id imprimis agebat, ut ostenderet, non *principes*, sed *principem*, ad pag. 47 v. 6 (II 25 extr.) id, ut moneret, non „*intra aedem*" sed „*interea deinde*" ab ipso codice suppeditari.

Quodsi talibus argumentis integerrimi Beati Rhenani fidem impugnare liceret, eodem, ne dicam maiore, iure provocaremus ad ea, quae ad pag. 47 v. 5 docuit Burerius. Sed hoc quoque loco absentem in cod. Murb. copulam voci *agros* adhaerentem, minime variantem interpunctionem notatam esse nullus dubito. Et nihil est, quod animadvertit Krausius: „s. inter notas numerorum, s. post abbreviatas voces"

puncta fuisse in codice Murb.“ — Rhenani enim verba illa, *codicem omnino absque punctis et distinctionibus ullis fuisse*, nihil nisi ipsam, quae vulgo dicitur, interpunctionem grammaticam spectant. Apparet, de punctis signisque illis diplomaticis in nullo non codice obviis ne potuisse quidem cogitare Rhenanum.

Quae quum ita sint, nihil obstat, quin hac in re a Burerio (cuius fidem tantum diligentiamque, iudicium non ita magni fecerim) recedendo medelam afferamus textui, qui nunc est, Velleiano. — Quamobrem, mihi crede, his exordiendum est libri alterius caput 26: *Deinde Coss. Carbo III.* Haerebit, ni fallor, unus alterve in eo, quod legendum suadeamus COSS, quum in ipso codice nonnisi tres illae literae CON. exstiterint, quas Burerius ipse in COS. mutandas statuerit, sed ad pag. 65. v. 23 Burerius:

> „*nec me fugit*, inquit, *quomodo in veterū codicibus plerisque scribatur, in quibus consul sic cōs consules vero sic CONS. scriptū reperio.*“

CAPUT IX.

Vell. II, 27. 5.

„*Utcunque cecidit, hodieque tanta patris imagine non obscuratur civis memoria.*" Haec Burerio auctore in cod. Murb. Ed. pr. p. 23.

Ruhnkenius „patris magnitudine non obscuratur *ejus* memoria." Malim: „patris magnitudine non obscuratur *filii* memoria.

CAPUT X.

Vell. II, 28. p. 163 ed. R.

„*Videbantur finita belli civilis mala cum Sullae crudelitate aucta sunt. Quippe Dictator creatus (cuius honoris usurpatio per annos CXX intermissa. Nam proximus post annum quam Hannibal Italia excesserat uti adpareat populum Rho. usum Dictatoris aut desideras Tulio Co timuisse potestatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi, spoliamusieranteo) immodicae crudelitatis licentia usus est.*" Ed. pr. p. 24.

Sepositis omnibus omnium Interpretum coniecturis, primum omnium inquiramus in ipsam loci sententiam.

Itaque vereor profecto, ne quis me in gyrum moveri dicat, quum ex iis ipsis, quae mihi reperienda demum proposuerim, sententiam, atque ex hac sententia rursus verba eliciturus sim. Sed illud tantum in animo habeo, ut quae verba nemini non

certa sint nullaque coniectura indigeant, ea tantum quod ad sensum attinet excutiam explicemque.

Constat enim, in prima periodi parte, a verbis puta: *Quippe dictator creatus* usque ad illa *uti appareat*, sarta tecta esse omnia. Dicit igitur Velleius, seculo diutius intermissam esse Dictaturam. Nunc autem quid inde consequitur? quid inde a Velleio effectum statuemus?

Ruhnkenio assentientes legunt: „*Uti appareat, populum R. usum dictatoris haud ita in metu desiderasse*," hoc sensu: Romanos eam ob caussam tamdiu intermisisse Dictaturam, quia quos in bello ex ea percipere possent fructus, ii a periculis per nimiam Dictatoris potestatem libertati reip. imminentibus longe superarentur, unde eos praesentia pericula futuri dominatus metu permotos solos pertulisse. Sensus, confiteor, aptissimus, sed audaciore, quam par est, verborum a Rhenano traditorum mutatione procreatus.

Faciliorem igitur emendationem circumspiciamus. Quam nobis suppeditat vocabulum illud *metu*. Quod poni pro eo quod nos dicimus: aus Furcht, docet (ut alios omittam) Baumstarkius V. D. ad Caes. B. G. II, 1 pag. 81 ed. Baumst. — Cfr. etiam Vell. II, 113. 1. — Adde, quod notum est, metui fere futura, metumque — id quod optime post Ruhnkenium docuit Krausius — esse propemodum i. q. bellum. Quibus de caussis legendum coniicio:

„*Uti appareat, populum R. usum dictatoris* (ut supra usurpationem dictatoris) *ante metu desiderasse, tum illius solum potestatem timuisse.*“

Quae si vera sunt, Velleio censente apparuit, eandem dictaturam, quae antea bellorum metu et ne quid detrimenti caperet resp., usurpata fuerit, in Sullam rerum potitum propter ipsum, quo animos perculerit timorem collatam esse, ut quae antiquitus futuris malis medela adhibita sit, ea nunc iam necessitate impositum dominationis in iugum abierit.

Superest, ut ostendam Ruhnkenianas coniecturas facilitate superari a nostris.

Quum *aut* in codd. sit *au̅*, *ante* vero *an̅*, elucet, facilius haec, quam *au̅* et *haud* s. *haut* permutari potuisse [9]).

Syllabas *Tulio Co* ita ortas putamus ex verbis: „tum illis solum.“ *Tum* scribi solet per solam lit. *t*, superimpendente lineola. Ita nacti sumus haec: *tilliꝯ*, quae ecce quam similia sint verbo *Tulio*, lineolis et supra et infra versum exstantibus vetustate deletis. Ex literis *il u*, ex signo *ꝯ o* facta esse, facile quisque concedet.

Ex literis *o Co* Ruhnkenius effecit *ocio*; nobis sub syllaba *Co* latere videtur v. *solum*. Contemplare enim verbi illius notam diplomaticam: nonne facillime oriri poterat litera maiuscula *C* ex illa cum apice coniuncta lit. *ſ*? —

[9]) Perlustres quaeso oculis quam libro annexuimus tabulam.

Iam dicamus de isto scripturae monstro: *musieranteo.* Primum hoc quoque ex loco patet scriptorem Murb. descripsisse exemplar, in quo singula verba omnino non distincta erant, sed omnia, ut fit in codd. usque ad saeculum octavum nonumve pertinentibus [10]), uno scripta tenore. Quare hic, sicuti e. g. cap. 72 §. 5. falsam verborum distinctionem fecit librarius. Etenim quum rectissime ex illo *musieranteo* ab aliis [11]) factum sit *usi erant eo*, mihi alia etiam ut adderem literamque *m* suo verbo restituerem contigit. Etenim litera illa *m* pertinet ad voc. *spolia*, quod nihil est nisi: *semper olim.* Quod non negabit qui meminerit, notam *sp* esse i. q. *semper.*

Atque hic imposuit bono librario studium eruendi verba ex rudi indigestaque, quae oculis eius obversabatur, literarum mole. Quum enim literas *spolimusieranteo* sic dispertire debuisset: *sp. olim usi erant eo*, literas *spoli* coniunxit, literam finalem *a* omissam ratus. Ita vero quoniam restaret litera *m*, quam quo referret nullo modo habebat, rebus desperatis, acquievit in edendo lepidissimo isto *musieranteo.*

10) Cuius rei auctor est Ebertus Cl. in libro qui inscribitur: Zur Handschriftenkunde, Vol. I, p. 50.

11) Licet haud dubie mihi, mea tantum in medium proferenti, aliorum inventa tacite in usus meos convertere, quum quae omnium manibus teruntur Ruhnkenii Krausiique editiones nomina illa referant omnia.

Quibus praemissis, spero vix fore qui etiam perseveret in Ruhnkenianis illis „*ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi erant eo.*“ Namque ne de voc. *remp.* quidem accesserim Viro Ill., sed Burmanno auctore *populum* scripserim, quum quia in textu est *ad vindicandum,* non *ad vindicandam*, tum quia cum Burmanno facientes clarissime intelligimus, quomodo factum sit, ut *periculi* non *periculis* exstet in Ed. pr. — Haec enim habebat quae describeret librarius Murb.: *maximis periculispolimusieranteo.* Quum igitur primum omnium illud sibi constare putaret, literas *spoli* esse vocem *spolia*, nullus dubitavit, praecedentes literas *sp* tanquam ex absurda earundem literarum repetitione ortas expellere; quibus in exilium missis, quid planius quam adiectivum *maximis* cum substantivo suo adaequatum esse?

Verba *immodicae crudelitatis licentia* (pace Ruhnkenii dixerim), ita corrigenda sunt: *immodica et crudelitate et licentia.*

Ergo, ut quae nobis invenisse videamur, brevi in conspectu ponamus, haec legenda putamus:

„*Videbantur finita belli civilis mala, cum*
„*Sutlae crudelitate aucta sunt. Quippe di-*
„*ctator creatus (cuius honoris usurpatio per*
„*annos CXX intermissa: nam proximus*
„*post annum, quam Hannibal Italia exces-*
„*serat; uti appareat, populum Romanum*
„*usum dictatoris ante metu desiderasse,*
„*tum illius solum timuisse potestatem) im-*

„perio, quo priores ad vindicandum maxi-
„mis periculis populum semper olim usi
„erant, eo immodica et crudelitate et li-
„centia usus est."

CAPUT XI.

Vell. II, 30. 4 p. 173. ed. R.

„Hoc consulatu Pompeius tribunitiam potestatem restituit, cuius Sulla imaginem in iure reliquerat." Ed. pr. p. 25.

Omnium fere interpretum plausum tulit Editor Basileensis, pro vocabulis *in iure* commentus, quod et R. recepit: *sine re.* At enim mihi propius ad antiqui codicis vestigia accedere videtur lectio: *cuius imaginem* ***inanem*** *reliquerat.* Accedit, quod illud *in iure* in eo, quem Murbacensis, librarius descripsit exemplari, sic sine dubio literis exaratum erat: *iniue*, quod vides, quam facile ex *inane* oriri potuerit distorta praesertim literae *a* scriptura.

Nostra autem correctio Ovidii auctoritate nititur. Evolvas enim Fast. V, v. 463. Et quis est, qui ignoret Virgilianum illud:

„Sic ait atque oculos pictura pascit inani!

CAPUT XII.

Vell. II, c. 31. p. 175 ed. R.

„et per omnia maiore vi habebatur.“ Ed. pr. p. 25.

Ruhnkenius sic legendum censet: *„et per omnia homine maior existimabatur.“* Optime quum totam hanc sententiam, tum locutionis illius adverbialis *per omnia* usum tamquam Velleiana vindicavit Vir. Cl., de verbis autem quae sequuntur, *vi habebatur* ab eius sententia discedimus.

Docent diplomatici, verbum *habebatur* sic scribi: *„hebatur.“* Atqui hoc igitur loco quum scriptum esset *videbatur*, librarius perperam capiendo literam *d*, legere putavit *vihebatur*, quod esset revera *vi habebatur.* Deinde, quod vocabulo *maiore* annexum est, *e* illud, a Ruhnkenio paullo temerius abiectum, nobis nihil aliud est, nisi signum verbi *esse* saepissime usitatum [12]). Quibus de caussis scribendum esse iudico:

> *„et per omnia homine maior esse videbatur.“*

Quae coniectura nisi fallor, expeditior est Ruhnkeniana.

[12]) Vide notas col. 442 a Walthero allatas, quarum una praecipue literae *e* simillima est. Neque tamen impedio quominus hic quoque vulgatiori illi *ee* locus concedatur.

CAPUT XIII.

Vell. II, 32. p. 180 ed. R.

„*dissuadentem et adversarium voluntatis suae.*" Ed. pr.

Docet Eberto auctore Pertzius [13]), ab octavo inde saeculo easdem literas binarum vocum, quarum altera alteram exciperet, in fine et initio comparentes, semel tantum calamo exarari solitas esse, ut *capitisui* pro *capitis sui.*

Idem in eo quoque, quem librarius Murbacensis descripsit, codice manu scripto factum esse, docet, quod apud Vell. l. II. c. 22. p. 138 ed. R. legitur: *Immediocri saevitum* i. e. *in mediocris saevitum.* Sed eadem res, quae in v. *Immediocrisaevitum* librario imposuit, quippe qui pro duabus, quae esse debebant, literis unam tantum calamo expresserit, eundem ut contrario errore *voluntatis suae* scriberet adduxit, quum elegantius legeretur: *voluntati suae* [14]). Apparet enim, Quintum Catulum, virum alioqui valde popularem, h. l. semel tantum plebi adversatum dici; quare

13) Dico Ebertum l. l. vol. 1. p. 47 & 48. et Pertzium Cl. in libro, qui duobus sub titulis fertur, sic enim inscribitur: „Archiv der Frankfurter Gesellschaft für ältere Deutsche Geschichtskunde," sive: „Italiänische Reise vom November 1821 bis August 1823. Hannover 1824;" pag. 56 & 108.

14) Quin docet Pertzius, saepenumero absona atque absurda verba veluti *hoc chos* pro *hoc hos* legi in antiquis codd.

minime nomine substantivo *plebis inimicus* appellari potuit. Neque tamen ob caussam modo allatam impugnarim quae vulgo feruntur, sed multo concinnius mihi, dativo si locum concedas, eidem etiam verbum, quod ad sensum attinet, annecti posse videtur. Ita Seneca in Herc. Oet. v. 929: „*Quicunque misero dissuadet mori crudelis est.*"

CAPUT XIV.

Vell. II, 32, p. 182 ed. R.

„...*praedonesque per multa, à multis locis victos*....."
Ed. pr. p. 26.

Krausius ut et alii Interpretes vocabulum aliquod elapsum odorati ostendunt, ad triarios ventum esse. Sed mihi, ut cum Plauto loquar, auxilia etiam sunt suppetiaeque domi sufficientes.

Scribendum enim:
praedonesque permultis iam aliis locis victos.
Quae lectio quomodo in eam, quae nunc est, abire potuerit, dicam. Verbis inter se coniunctis, sic scriptum erat in eo, unde liber Murb. fluxit, codice: „*permultisiamaliis locis.*"

Vocabuli *permultis* syllabam finalem *is* solito more per signum quoddam pictam esse, notum est ex libello Conradi Mannerti V. D., merito collaudato ab illo, quem praematura morte abreptum lugemus, Eberto [15]). Quod signum h. l. cum litera *a*,

[15]) Neque possum quin et ipse librum illum commendem iis,

quam et ipsam distortam quandam formaque duplicis literae cc non absimili fuisse constat, facili errore confusum est; succedente insuper litera *i* vocis *iam*, quacum signum illud coaluerit.

Puncto deinde prioris literae *i* in voc. *aliis* cum ea, cui impendebat linea recta scriptoris incuria coniuncto, parumve ab illa distento factum est, ut illud *i* pro *t* acceptum vocabulo *maltis* originem daret; quod pro *multis* lectum esse satis facile intelligitur.

Ad sententiam loci quod attinet, praesto est in orat. quae nunc inscribitur „De imperio Cn. Pompeii." Cicero: — — omnes, qui ubique praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius huius imperio et potestati se dediderunt." Quibuscum conferenda sunt praecedentia. Neque vero negligenda est Appiani narratio, utpote et accuratissima et ab iis quae tradiderunt Florus, Velleius, Plutarchus multum differens.

quibus fortasse non suppetant maiora eiusmodi opera Quorum caussa ascribere iuvat hunc libri titulum: Miscellaneen meist diplomatischen Inhalts. Bearbeitet von Konrad Mannert. Nürnberg. 1795.

CAPUT XV.

Vell. II, 30. p. 175 ed. R.

„*Quorum numerus in tantum adulevit ut qua ultimo dimicavere acie XL a CCC hominum se Rhomano exercitui opposuerint.*" Ed. pr. p. 25.

Mihi simplicissima correctione, solo numero XL a CCC in XL ac CC mutando opus esse videtur.

Cuius coniecturae ansam ostendit B. G. Niebuhrii annotatio 622 in tertio hist. Romanae tomo, quam quo magis lectorum commodo subveniam transcribere placet:

> „*Wenn in den Handschriften mit Unzialschrift und ungetrennten Worten mille ac so viele Hunderte mit Zahlzeichen geschrieben wird, so ist ac von dem folgenden c nicht durch einen Punkt getrennt, z. B. ∞ACCC für milleac ducenti. (Ich nehme das Beispiel aus derHandschrift de republica.) Daraus ist nun entstanden, dass die späteren Abschreiber, die das Zeichen für tausend entweder nicht kannten oder übersahen, es ausliessen, und ganz sinnlos z. B. nach jenem Beispiel schrieben aCCC.*

Quamobrem Velleio auctore ducenta quadraginta hominum milia Romano sese exercitui obiecisse videntur [16].

[16]) Quamquam Appianus Civ. I, 117 centum tantum et viginti hominum milia Romam petiisse tradit.

CAPUT XVI

Vell. II, 35, p. 191. ed. R.

„*Hic genitus proavo M. Catone principe illo familiae Portiae non virtuti simillimus et per omnia ingenio diis quam hominibus propior.*“ Ed. pr. p. 26.

Quamvis non negarim, veteres Diis comparasse homines, tamen quod h. l. vult Burerius, quodque eiusdem auctoritatem sequutus in textum recepit Ruhnkenius: *homo Virtuti simillimus*, illud mihi plane displicet. Quid enim? Deaene simillimus vir? Durior certe est feminae cum viro comparatio facta, et legeretur praeterea, si quid video: *ipsi Virtuti simillimus.* Nobis igitur aliud in mentem venit. Quid si recipiamus:

> „*Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familiae Portiae,* **huius** *virtuti simillimus?*“

Meminerint VV. DD. simillima verbi *non* et *huius* compendia: *hꝰ̄* et *n̄o*. Vetustate adesus evanuerat eminens ille literae *h* apex. Liquet enim et hoc et nostro loco paullo inusitatius, quod ad personas referri debuerit, ad res relatum esse. Est, ni fallor, Enallage ceu Heterosis, cui recte Ramshornius attribuit Ciceronis illa: Aegris corporibus simillima est animi aegritudo. Cic. Tusc. 3, 10. — Cfr. etiam C. Tusc. 1, 1. et Ramshornii Gr. §. 203, III, 1. b; denique (qui rem absolvit) Vell. II, 6. p. 89. ed. R. „*Caium virtutibus eius similem.*“

CAPUT XVII.

Vell. II, 36. p. 197 ed. R.

„Neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum.“ Ed. pr. 27.

Cuius mihi semper imago obversatur, viri immortalis, B. G. Niebuhrii hocce dictum accepi: „omnium, quotquot ad nos pervenerint, poetarum „Romanorum principem fuisse *Catullum*, praestantis„simisque Graecorum scriptoribus aequiparandum; „neminem Romanum tam naturali diviteque vena „praeditum fuisse.“

Eandem vero rem h. l. a sagacissimo illo Paterculo literis mandatam putamus. Neque enim dubitandum est, quin Catulliani operis perfectio hic summopere collaudetur; modo ne cum Ruhnkenio Marklandium sequaris, coniicientem: *in suscepti operis forma.* Quid enim? Num formam tantum Catulliani operis admiramur? Nonne multo magis ipsarum sententiarum mira quadam dulcedine capimur? Quare, mihi crede, scribendum est:

„neque ullo in suspecti operis sui ***cacumine*** *minorem Catullum.“*

Cacumen autem est i. q. perfectio. Similiter infra Velleius II, 109, p. 419; et Lucretius:

„Namque alia ex alio clarescere corde videmus
Artibus ad summum donec venere ***cacumen.***

Ita denique apud Macrobium Laberius *famae cacumen* plane sicut Velleius videtur dixisse. Ad sententiam autem optime facit illud ipsum, quod Ruhnkenius attulit, Columellae: *consummatio susceptae professionis.* Fortasse in voc., quod abesse possit, *sui*, latet v. *summo*, ut fieret: *in s. o. summo cacumine.* Sed eius rei obiter tantum mentionem iniectam volumus.

Vocabulo autem *cacumine*, in quo nos verum vidisse persuasum habemus, vindicatur simul quod post Gryphium a multis VV. DD. loco motum est: *suspecti.* Mihi certe mutatione non opus esse videtur, neque negabis, opinor, quamvis nullum in promtu sit exemplum, ad participium *suspectus* admirandi quoque notionem referri posse.

CAPUT XVIII.

Vell. II, 37. p. 201. ed. R.

„*Finis imperi regi terminatus Armenia.*" Ed. pr. 28.

Miror, neminem vocabuli *regi* propugnatorem exstitisse. Nullo enim iure impugnatum est. Dicit Velleius: Tigrani regi finem imperii sui Armeniâ terminatum esse. Vertendum: mit Armenien ist ihm sein Reich begränzt. Eodem plane modo paullo ante: *Servatus regi honos imperii.*

Qui locus omnem dubitandi causam tollit. Quapropter voc. *regi* minime sicut antecedens *imperi* una litera *i* augendum est.

CAPUT XIX.

Vell. II, 38 p. 203. ed. R.

„Immane bellicae civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio Cos. III Augusto principe certae pacis argumentum Ianus geminus clausus dedit.“ Ed. pr. p. 28.

Ruhnkenio inducenda videntur verba *certae pacis argumentum.* Mea autem opinione ea nondum ita sanguine et tamquam spiritu carere coeperunt, ut iam amputanda sint et resecanda. Expeditius uno tantum verbo mutato scribemus haec:

> *„Immane bellicae civitatis argumentum* (sc. est) *quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio cos. III Augusto principe certae pacis* **spem** *Janus geminus clausus dedit.“*

Haud raro in Ed. pr. invenire licet, quod librarius Murbacensis, in verbo aliquo minus distincte perspecto haerens, sive omnino oscitanter rem agens, similitudine, quae voci alicui cum praecedentibus intercederet, sibi imponi passus, similia cum similibus confuderit. Quo factum ut h. l. vocabulum *documentum* quod modo scripserat, pro eo, quod literis mandare debebat *spem* calamo sineret elabi. Sed quaeret fortasse quispiam, quid rei sit verbo *spem* cum verbo *argumentum*? Quem ablego ad Waltherum docentem inter varia vocis *argumentum* compendia unum praesertim facillime cum voc.

spem permutari potuisse. Quocum si conferas illud, quod apud Waltherum exstat, vocis *spem* signum: omnia, opinor, plana erunt et peracta.

CAPUT XX.

Vell. II, 39. p. 204. ed. R.

„*Cypro devicta, nullis assignanda gloria est.*“ Ed. pr. p. 28.

Visne legatur: *Cyprus devicta nulli assignanda gloriae est?* Facillimum mutatu est *Cyprg* in *Cypro.* De dativo adeas Gellium 9, 9 fin: Ipse etiam Demosthenes non id postea concelavit; quin gloriae quoque sibi assignavit. Sed ne quid depereat praestat fortasse: *Cyprus devicta nullius assignanda gloriae est.*

CAPUT XXI.

Vell. II, 39. p. 205. ed. R.

„*Quippe eius ductu auspiciisque infractae pene idem quod totus terrarum orbis ignavum conferunt stipendium.*“ Ed. pr. 28.

Nullius Romani erat, ignaviam exprobrare devictis tributumque ferentibus; et h. insuper l. si minus fortes diceret Gallos, profecto non fulgentissimum C. Caesaris factum memoriae proderet. Quod quum ita sit, Krausii pace cum Ruhnkenio accedimus Aldo

Nepoti, verbum *ignavum* ab h. l. plane alienum ducenti. Neque tamen Velleii manum assequutus est Ruhnkenius, cui haec placent: *q. e. d. a. i bona fide quod totus terrarum orbis, in aerarium conferunt stipendium.* Augustus quidem ut statim post dici potuit stipendia conferre in aerarium, neque tamen eadem locutio populis tributariis accommodata est. Quare hanc venundo medelam:

> **plane** *idem, quod totus terrarum orbis,*
> **ingratum** *conferunt stipendium.*

Notum est, praepositionem in fere sola lit. *i* scribi solitam; neque haerendum in syllabis *gra* pro *gna* et *vum* pro *tum* positis. Itaque ex voc. *igratū* factum est *ignavū.* Quodsi hac in re verum vidimus, dicit Velleius, Germanos quamvis reluctantes idem tamen cum toto terrarum orbe iugum tulisse.

CAPUT XXII.

Vell. II. 46. p. 231. ed. R.

„*Alterum pene imperio nostro ac suo quaerens orbem: victus pars consulum Cn. Pompeius & M. Crassus alterum iniere consulatum; qui neque petitus honeste ab his neque probabiliter gestus est.*“ Ed. pr. p. 32.

Languidum satis ineptumque foret, „*invictum par consulum*“, „*inclutum par consulum*“ vel tale quid in textum recipere. Enimvero attendas ad consequentia „*qui neque* cett. Quare magnifica illa

laus *„inclytum* s. *unicum* s. *invictum par consulum"* quomodo quadrat cum ieiuma ista reprehensione: *qui neque* cett? Inclitum par consulum consulatum neque honeste petivit neque cum laude gessit! Quae si ab ipso Velleio profecta sint, nonne fieri vides Horatianum illud:

— — ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne?
——— ut nec pes nec caput uni
reddatur formae.

Quae quum ita sint negarique nequeant, aliunde petendum erit auxilium. Nec displicebit fortasse haec, quam invenimus, emendatio:

> *„Alterum pene imperio nostro ac suo quaerens orbem,* ***virtute pariter et consilio,*** *Cn. Pompeius, alterum iniere consulatum, qui neque petitus honeste ab iis, neque probabiliter gestus est."*

Ita optime Caesar quem semper, ut par est, laudibus effert Velleius componitur cum Pompeio Crassoque, quos quum hoc ipso loco macula aspergat, aliis quoque locis haud raro carpit. Itaque quamquam et codex Amerbachianus, et editio princeps *consulum* exhibet, tamen vix dubium est, quin h. l. in eo quem librarius Murb. transcripsit cod. scriptum fuerit: *„cons."* Sic Burerio et Amerbachio testibus p. 9. versu 15 legitur: fabioque decio mure quarto CONS; sic eodem Burerio auctore in veterum codicibus plerisque scribi solitum. Unde facillime colligitur, quomodo ex voce *cons.* perperam

accepta formari potuerit *consulum.* Quin etiam v. *consilii* s. *consilis* pro v. *consulis* reperitur.

Quamquam ea res et per se vix ullam gignit difficultatem. At de locutione *virtute et consilio* nisi frontem contrahant censores haec affero exempla: Hor. Ep. I, 12. 15. Caes. b. g. 3, 5. Liv. 4, 13. fin.

Jam pene supervacaneum videri possit notare qua ratione syllabae illae *te* et *ter* in exeuntibus vocabulis *virtute* et *pariter* comparentes corruptae sint in literas *s.* Sed enim sinuosa literae huius forma ea est, quae haud difficile eiusmodi confusionibus locum praebeat; praesertim quum v. pariter sic fere scribatur in codd.: §, ut signum quoddam eo quo nos utimur paragraphi signo persimile literae p superimponatur; unde propemodum idem est cum nota verbi *pars: ps. Victus* autem pro *virtute* positum est, uti inversa ratione *videbit e* pro *videbis* legi ostendemus infra.

Quare quum mihi omnia tam accurate convenire videantur cum rationibus diplomaticis, non possum quin abdicem Orellii Cl. coniecturam „*iunctum par consulum.*“ Neque enim satis perspicio, quomodo *iunctum par consulum* idem sit quod *bis una consules.* Mea autem ex lectione Caesaris virtus et consilium optime, ni fallor, opponuntur subdolis Pompeii Crassique machinationibus.

CAPUT XXIII.

Vell. II, 47. p. 234. ed. R.

„Per haec, insequentiaque, & quae praediximus tempora, amplius $\overline{CCCC}$ *hostium a C. Caesare caesa sunt, plura capta.“* Ed. pr. p. 32.

Tantamne paucitatem periisse credas? Adeone Caesaris laudem attrivisse Paterculnm? Appianus, Krausio recte referente, et Plutarchus decies centena circiter milia occisorum totidemque captorum numerant. Plinius autem scribit, Praeter civiles victorias undecies centena et nonaginta duo millia homina occisa ab eo proeliis. Ab his non recedit Velleii numerus; modo ne mecum legere recuses: *undecies centena millia.* Quam emendationem Niebuhrii auctoritate [17]) tueri in animo est.

Etenim nihil dubito, quin uti ap. Cic. de Rep. ex *aCCC* Nieb. effecit ∞*acCC*, ita h. l. numerus CCCC nihil sit nisi ∞ ac C. s. undecies centena millia. Tres notas C absorbeat, necesse est, copula *ac*, quum lit. a per duplicem lit. c exprimatur.

[17]) Vid. Nieb. l. l.

CAPUT XXIV.

Vell II, 47. p. 234. ed. R.

„*Circa Alesiam vero tantae res quantas audere vix hominis perficere pene nullius nisi dei fuerit.*“ Ed. pr. 32.

Frigidius sane, quae priore eadem et altero periodi membro enunciaret Velleius, nisi h. l. scribendum esset:

quantas audere vix hominis, perficere **plane** *nullius nisi Dei fuerit.*

Ita eleganter levioribus graviora subiunguntur, diciturque Caesar ante captam Alesiam *pene*, post captam *plane* Deus. Simili ratione Velleii nobis manum assequuti videmur supra cap. 22.

CAPUT XXV.

Vell. II, 39. p. 205. ed. R.

„*Gallias primus Domitio fabio nepoti Pauli qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu magna mox clade nostra, saepe et affectavimus et amisimus.*“ Haec Orellio v. Cl. teste cod. Amerbach; ed. pr. *primum.*

Verba *magna cum clade nostra* Krausio teste primus impugnavit Heynius Ill. Neque negandum, probabilitatis speciem prae se ferre quae ab illo accepta attulit Krausius. Sed tamen, quamvis de Cimbrorum in Gallias incursione facta non sit cogitandum, nullo modo concedimus Heinsio, cetero-

quin numquam non acutissimo, scribendum esse: *magna mox clade nostra saepe et affectavimus et omisimus.* Utinam tam uberes ubique fluerent historiae fontes, tales ut coniecturas capere liceret! Mea autem opinione nisi statuas, verba *m. mox c. n.* cladis alicuius, post Fabii expeditionem factae notitiam continere cuius interierit memoria, scribes fortasse mecum: *magna* **cum** *clade nostra.* Cui emendationi, nisi favet historia, tempori hoc, non mihi, vitio vertatis. Itaque de prima periodi parte cum Orellio, egregie nunc et de Velleio merito, assentientes Burmanno legendum coniicimus:

> *Gallias primum a Domitio et Fabio, nepote Paulli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu magna cum clade nostra saepe et affectavimus et amisimus.*

Magna autem cum clade s. multis cum damnis Romani h. l. Gallias affectavisse dicuntur, quoniam constat, ab anno inde 121 usque ad ann. 58 p. Chr. n. continua bella gesta esse cum Allobrogibus Helvetiisque. Cfr. Baumstark. p. XXIII editionis quam curavit Caesarianae.

CAPUT XXVI.

Vell. II, 39. p. 61. ed. Orell.

„Divus Augustus praeter Hispanias aliasque genteis, quarum titulis forum eius praenitet, idem facta Aegypto stipendiaria quantum pater eius Galli in aerarium reditus contulit.“ Ed. pr. p. 29.

Mirum, Interpretes ad unum omnes — ne Orellio quidem excepto — nihil h. l. desiderasse. Nonne necesse est participium ponatur ante illa, quae nunc sunt, *paene idem?* Etenim — ut taceam latinitatem, per quam aegre, opinor, fertur notio *factas stipendiarias* ex illo quod sequitur *facta Aegypto stipendiaria* desumenda — itaque tacita latinitate sensum loci perscrutemur.

> „*E Strabone* — licet enim Krausii verbis uti — *efficitur, Aegypti tributa annua longe superasse XII millia et quingenta talenta, quae fero aequant 12000000 imperialium. Galliis vero Caesar in singulos annos imposuit quadringenties HS. h. e. circiter 2000000 imperialium.*“

Quum igitur Galliarum tributa etiamsi sexies duplicentur longe tamen relinquantur ab iis quae Strabone auctore Aegypto imposuit Augustus: apparet, neque de reliquis etiam quae praeter Aegyptum superatae erant gentibus cogitandum, et corrigendum esse illud *paene idem.* Utriusque mali hanc habeo quam afferam medelam. Scribendum, ni fallor, est:

> *Divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis eius forum praenitet,* **perdomitas paene** *VII facta Aegypto stipendiaria quantum pater eius ex Galliis in aerarium reditus contulit.*"

Haud nihil ambigam, utrum scribendum sit *ex Galliis* (quod puto quia apud Velleium plurali semper numero Galliae nominantur), an, quod vulgo legitur, *Gallia.* Reliqua autem quae protuli quo accuratius perpendo eo magis — id quod aperte confiteor — mihi placent arridentque. Ita enim optime Augusto adulatur Velleius; multis enim multorum clarissimorum ducum victoriis numeratis Galliarum debellatarum mentione iniecta, adde C. Caesaris fulgentissimo in his conspecto opere collaudato: aptissime, opinor, additur, Divum Augustum non solum et ipsum plurimas gentes devicisse, sed etiam septies eandem quam patrem pecuniae summam ex sola Aegypto in aerarium contulisse.

De latinitate vocis *idem* cum *quantum* coniunctae qui cum Krausio dubitent accedent, opinor, mihi ex voce illa *idem* notas numerales VII elicientem. Accedit ut v. idem per signum diplomaticum scribi soleat.

Quod autem attinet ad participium *perdomitas,* incidimus in illud propter vicinitatem verborum *praenites* et paene idem s. potius *paene VII,* quibus verbis si interseras illud *perdomitas,* nancisceris tres voces inter se haud dissimiles.

CAPUT XXVII.

Vell. II, 47. p. 69 ed. Orell.

„*Septimo ferme anno Caesar morabatur in Galliis cum medium iam ex invidia Ponti ac Camiliae cohaerentis inter Cn. Pompeium & C. Caesarem concordiae pignus Julia uxor Magni, decessit.*“ Ed. pr. p. 32.

Burerius „Exempl., inquit, vetus sic habet ut appareat legendum *Pontiae Camillae*, cohaerentis.“ Unde illud vix dubium est, quin efficiatur, literas quidem *et*, quae sunt in exemplari Amerbachiano, in ipso codice Murb. non exstitisse, sed syllabam *ae* prave quidem scriptam, et ab ea, ad quam pertinebat, voce *Ponti* scriptoris culpa paullulum remotam a Bo. Amerbacchio pro signo &, a Rhenano pro syllaba *ac* habitam esse.

Neque igitur erat quod Orellius (id quod pace diligentiae eius dixerim) codicis Amerbachiani lectione retenta Burerii verba afferre omitteret; praesertim quum alio quoque loco Amerbachium *et Noricos* pro eo quod rectius sit, *ac Noricos* posuisse doceat ipse Ill. Ciceronis Editor. Vid. pag. Ed. Or. 62 init.

Alterum vero, quod legendum proponit Burerius, *Camillae*, et codicis Amerbachiani et Editionis princ. auctoritate freti tanquam meram boni viri coniecturam prorsus spernimus abiicimusque.

Quod autem ad ipsam quae opus est emendationem attinet omnino accedimus Lipsio, ex v.

Pontiae, egregie *potentiae* efficientis. De altero vero quod in medium profert *male* ausim incurrere in Krausii vituperationem: „felicissimam et pulcherrimam Lipsii coniecturam insequentes Criticos ingenium suum ut videatur ostentaturos deseruisse.“ Etenim ea est in Lipsiana lectione verborum positio, ut mirum potius esse videatur, tot tantosque Criticos in ea acquievisse. Namque haec Lipsii: „Obiit, ait (Velleius), unicum pignus s. vinculum concordiae male iam haerentis“ nonne ea ipsa ostendunt, voculam *iam* ex hac Lipsii sententia satis inepte positam esse post *medium*, quum excipere debuerit vocem in quam Lipsius incidit, *male*? — Lipsianam sententiam ita expressurus fuisset Velleius: Septimo ferme anno Caesar morabatur in Galliis, cum medium ex invidia potentiae male iam cohaerentis inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus Julia uxor Magni decessit.

Deinde mihi quidem vocis *Camillae* in *male* decurtatio violentior esse videtur, quam quae ferri possit.

Quibus de caussis equidem adiectivo illi *medium* aliam atque vulgarem vim attribuo. Neque enim est i. q. intermedius, in medio positus, sed significat s. anceps, s. mediocris. Eodem sensu etiam media libertorum fides notatur a Velleio cap. 67. Ita vides verba sequentia *ex invidia potentiae* illi *medium* explicando inservire.

Quid autem agamus cum illo scripturae monstro *Camiliae?* Fortasse nihil aliud legendum est

quam: ex invidia potentiae *&* *aemulatione.* Norunt et qui primis labris degustarunt artem diplomaticam signum & saepenumero adaequare literae C maiori; nec minus tritum est et pervulgatum terminationes *atio*, *ationis*, *ationem* fere per compendia exarari. Quapropter h. l. haec scripta videbat librarius Murbacensis: & aemulioe. Qui quum notam *&* in C corrupisset, sicuti supra cap. 25 *crabula* in chartam iecerat pro *& tabula*; literae duplicis *œ* apice vetustate eraso solum *a* conspicere sibi visus est; denique *oe* quod in fine legebatur errore ductus pro syllaba *œ* utpote illi simillima cepisse videtur. Superest, ut illud *septimo* in *Quarto* corrigendum moneam, si quidem (ut monet Krausius) anno 700 decessit Julia, quattuor vero annis ante puta anno 696 Gallias intravit Caesar. Sed scriptum primo erat III, quod in VII mutatum est, duobus notis I per errorem coniunctis.

Ergo ut quae diximus pauca paucioribus etiam comprehendamus ita scribendum coniicimus:

> *Quarto ferme anno Caesar morabatur in Galliis, cum medium iam ex invidia potentiae et aemulatione* [19] *cohaerentis inter Cn. Pompeium et C. Caesarem concordiae pignus Julia uxor Magni decessit.*

---

[19]) **Haec qualiacunque postquam inveneram, animadverti, similem in modum haec coniecisse Heinsium: „ex invidia potentiae ac aemulatu cohaerentis."**

Quae modo legisti, lector aequissime, postquam scripseram, denuo mihi scrupulum iniecerunt viri aliquot, quibuscum ea communicaram, gravissimi. Quamobrem illud etiam ex te quaesitum volo, utrum legenda sint: *ex invidia Pompeii & familiae*, an retinenda quae modo in medium contulimus. Fortasse etiam *ex invidia Pompeii et aemulatione* minus displicebit.

CAPUT XXVIII.

Vell. II, 44. p. 66 ed. Orell.

„Crassus ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompei viri viribus teneret Caesaris.“

Quamvis minime is sim qui omnino negem unquam verba syllabasve singulas duplicari a librario dormitante, tamen h. l. minime Velleiani moris duxerim Caesaris vires tantum, non et virtutem commemoratam esse. Quare legendum coniicio: *„auctoritate Pompeii, virtute et viribus teneret Caesaris.“* Quae sententia si vera est, iterum C. Julio Caesari laudem nobis suam restituisse videmur. Et confer tabellam in fine libri collocatam.

CAPUT XXIX.

Vell. II, 30. p. 52 ed. Orell.

„*Huius patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox rei P. omni.*“ Exempl. Amerbach.

Forte scribendum: *mox reip. per omnia principem; sive: mox reip. omnis principem.* Sed illud malim, memor illorum: Crassus, ut quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, virtute et viribus teneret Caesaris. Unde quamvis invito Orellio illud efficiendum duxerim, Crassum Velleii ex sententia reapse plurimum potuisse. Accedit quod locutio *per omnia* idem propemodum est quod in universum (nostrum: *im Ganzen*): lenit nimirum dicta paullum exaggerantia.

CAPUT XXX.

Vell. II, 42. p. 65. ed. Orell.

„*Mandatisque custodiae quos ceperat, in Bithyniam perrexit ad proconsulem Iunium, cum idem enim Asiam eam quam obtinebat, petens.* Ed. pr.

Ne multa, scribendum suspicor:

mandatisque custodiae, quos ceperat, in Bithyniam perrexit ad proconsulem Junium (reliquerat enim Asiam eam, quam obtinebat) petens.

Rerum a C. Caesare, libertatem adepto, gestarum eum puto ordinem fuisse, ut primum piratas cruci affixerit, deinde vero regis praefectum provincia quippe quam Iunius tum obtineret expulerit. Suet. Caes. 4. „ab Rhodo, inquit, quo pertenderat transiit in Asiam: auxiliisque contractis et praefecto regis provincia expulso nutantes ac dubias civitates retinuit in fide.“ Mihi Iunius metu perculsus provinciam suam reliquisse videtur. Cuius quidem conata quum et alioquin saepius tum piratis non venditis sed necatis sua solum auctoritate usus irrita fecit Caesar. Vides, me primam capitis periodum sic legere:

> *Longum est narrare quid et quoties ausus sit, quanto opere conata eius, qui obtinebat Asiam, magistratus P. R. motu suo destituerit.*“

Motus, opinor, i. est q. impulsus, instinctus, nostrum: *Antrieb.* Huc enim referre licet omnes locos quibus *motus* pro *oestro* dictum vult Forcellinius.

CAPUT XXXI.

Vell. II, 48. p. 71. ed. Orell.

„*Id gratis an accepto centies S — H* (sic) *fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus.*“ Ed. pr. p. 33.

Egregie, ut solet, Lipsius scribi iubet *sexcenties*, Valerio Maximo Cassioque Dione auctoribus usus. Quorum hic tradit, omni aere alieno, quo in-

genti esset obstrictus, Curionem a Caesare liberatum; ille: „Consimilis, inquit, mutatio in domo Curionum exstitit, siquidem forum nostrum et patris gravissimum supercilium et filii *sexcenties* sestertium aeris alieni aspexit, contractum famosa iniuria iuvenum" [20]). Quare quum perplaceat Lipsii correctio, eam ne a Servio quidem neque a Scholiaste Lucani quorum uterque a Ruhnkenio evocatus est recedere demonstrabo. Age enim, propius aspicias numeros illos a Ruhnkenio allatos: *decies*, *XXVII* et *sexcenties* (centies). Numerus *sexcenties* notis numeralibus scriptus originem dedit illi Scholiastae numero *decies*. Ex notis *DCIES* factum est DECIES. Haud absimili ratione vocabulum *sexcenties* ita scriptum: VI, C. IES (= centies) acceptum est pro *vicies septies; vicies* enim ortum est ex tribus notis VIC (vic), quarum duae priores VI perperam pro literis *vi* haberentur. Ergo dubium non est, omnes illas lectiones eodem convenire, eandemque ad summam redire.

20) Conferas et quae Lipsius ipse et quae Manutius Heinsiusque ad hunc locum dixerunt.

CAPUT XXXII.

Vell. II, 51. p. 74. ed. Orell.

.... „*C. Caesar nihil in mora habuit, quo minus et cum vellet ipse exercitusque classibus perveniret.*“ Ed. pr. p. 34.

Retineo pulcherrimam Vossii coniecturam: „*eo cum vellet.*“ *Eo*] scil. Dyrrhachium; *cum vellet*] nimirum tempore hiberno, ut docuit Krausius. Quodsi mecum faciens de solo Dyrrhachio, quo Caesar pervenire voluerit, cogites, intelliges, quam arte cum illis: *quo minus eo cum vellet pervenire* cohaereant consequentia: *et primo paene* rell. Sensus est: Caesar, quamvis a Pompeio Dyrrhachii commorante ab exercitu traiiciendo prohiberetur, tamen celerrime eo pervenit, et primo paene castris Pompeii sua iunxit, mox...

CAPUT XXXIII.

Vell. II, 51, p. 74. ed. Orell.

„*Tum Balbus Cornelius — illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniae Asiae natus, sed Hispanus in triumphum & pontificatum adsurgeret.*“ Ed. pr. p. 34.

Hic locus si quis alius impeditus est atque obscurus. Ruhnkenius quamquam non improbat Lipsii coniecturam:

„*Tamen*, inquit, *aliud latere videtur, quod acutiores me quaerant.*“

Quamobrem si feliciores dixisset Ruhnkenius, equidem nomen profiterer, quod quum ille se acutiores quaesiverit, vix ullum facturum esse putarim. Sed — ut mittam ambages — haec equidem inveni:

„*Balbus Cornelius illis incrementis fecit viam quibus non in Hispania a cive natus, sed Hispanus,*“

Quod attinet ad illud *cive* a nobis factum ex v. *Asiae*, arcesso Godefridum Abbatem Gottwicensem qui: „*Permutata*, inquit, *etiam antiquitus S. et C.*“ Vid. p. 4 Chron. Gottwic.

Sed video, in similia iam ante me coniectura incidisse Hottingerum, qui tamen et praepositionem *in* omisit, et *at* scripsit, quum nostrum *a cive* paullo propius accedat illi *Asiae*.

Quod autem ad sententiam loci attinet, apparet, Balbum ne matre quidem Romana, neque patre Romano, sed Hispanicis parentibus in Hispania natum dici.

CAPUT XXXIV.

Vell. II, 53. p. 76 ed. Orell.

„*Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem?*“ Ed. pr. p. 25.

Quid alii sentiant, nescio, mihi locus hicce semper intolerabili περιττολογίᾳ laborare visus est. Nullus dubito, quin recte hic coenobitae alicuius ingenium subodorer. Non temperavit sibi librarius, quin quae monachorum more memoriter tenebat proverbia, eorum unum depromtum margini appingeret. Tertium enim periodi membrum proverbii loco esse, nemo, opinor, qui neget reperietur. Duae quidem eiusmodi interrogationes interdum leguntur, tertia, qualis hic est, redundat.

CAPUT XXXV.

Vell. II, 54. p. 77. ed. Orell.

„*Non fuit* n̄o *maior in Caesarem quam in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur fides.*“ Ed. pr. p. 35.

Refert Bürerius in cod. Murb. vocabulum *non* sic scribi: *n̄o*. Quod signum h. l. confusum putamus cum eo quo indicatur adverbium *nunc*, nimirum *n̄c*. Ita et librario et ipsi loci sententiae satisfacimus;

librario enim nova plane et ab illo ipso creata vocabula vix imputanda sunt; locique sensus adiuvatur Plusquamperfecti illius *fuerat* cum v. *nunc* facta oppositione. Ecce enim nonne magis placet:

> „*Non fuit* **nunc** (i. e. Caesaris temporibus) *maior in Caesarem quam in Pompeium fuerat, regis fides?*

Voculam *nunc* de praeterito quoque tempore rei cuiuspiam repraesentandae caussa poni, affatim docent lexicographi. Usurpatur ut nostrum *nun.*

Sed fortasse supervacaneum non erit confiteri mihi aliam quoque loci medicinam subvenisse. Quum enim $\overline{uo}$ = vero similius etiam sit illi $\overline{no}$ = non, quam $\overline{nc}$ fortasse legere malis:

> „*Non fuit* **vero** *maior in Caesarem, quam in Pompeium fuerat, regis — fides.*"

CAPUT XXXVI.

Vell. II, 54. p. 77 ed. Orell.

„*Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique Iubae nomine.*" Ed. pr. p. 35.

Orellii librum priusquam inspicerem, communicaram iam cum Islero [21]) meo eandem quam nunc et Huthium fecisse comperimus coniecturam: *iure*

[21]) Qui vir — id quod gratissimo animo agnosco — incredibili patientia omnes hasce coniecturas antequam in publicum prodirent examini subiecit accuratissimo subtilissimo-

ac nomine. Quam tametsi nunc non plane abdicarim, non displicet tamen alia, iam in scribendo mihi oblata. Etenim haud scio an non uti iuvet illo *vivo* in cod. Amerbachiano vocabulo *Iubae* superscripto, hoc modo:

„*Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc ubique vivus nomine.*"

Cuius lectionis documento satis firmo utimur eo, quod l. II. c. 89. §. 3 Amerbachio teste in cod. Murb. exstiterit: *Bellaci Iulia* pro *bella civilia.*

CAPUT XXXVII.

Vell. II, 55. p. 78 ed. Orell.

„*Ibi primo varia fortunam expugnavit via, inclinataeque hostium copiae.*" Ed. pr. p. 36.

Acidalii coniectura mihi (quod tot tantorumque VV. DD. pace dixerim) speciosior esse videtur quam verior. Nimis multa immutari iubet.

Facilius mihi minimeque inficetum esse videtur, quod et Ed. Basil. recepit:

„*Ibi primo variam fortunam expugnavit.*"

Neque vero omittendum, quod in fine est, *via*, quod et debet et potest emendari. Inspicientibus Waltheri lexicon, obviam fit signum *vite* = *virtute.* Quod signum quum quale hic typis excusum est, tum quale in ipsis diplomatis comparet, coalescit

exspectatoque facilius confunditur cum eo quod cod. Murb. exhibet: *via*. Quare scribendum:

> „*Ibi primo variam fortunam expugnavit virtute.*“

Fortuna h. l., uti et bis eod. in cap. Dea est. Verbum expugnandi eo quo volumus sensu legitur (ut exemplo utar) apud Cic. Parad. IV, 1.:

> „*Sapientis animum vincere et expugnare.*“

Sed haec hactenus. Attamen egregium magnique faciendum succedit auxilium ex iis quae proxime antecedunt:

> „*Sequens fortunam suam Caesar, pervectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primo*“ rell.

Quae summo iure a Ruhnkenio impugnata, nullo iure et ab illo et a Krausio intacta sunt relicta. Sunt enim sine dubio a Beato Rhenano falso distincta, et a sua ad quam pertinent periodo seiuncta. Neque tamen admodum necesse est, scribere Ruhnkeniana illa: *pervectus est* sive *pervectusque*. Quae verba sive cum consequentibus *Ibi primo* cett. iungas, sive eo quo sunt loco relinquas, commonstrant, parvi floccique faciendam esse collaudatam Acidalii correctionem. Quid enim? Caesar sequens *suam Fortunam*, in Africam pervectus, primo *varia Fortuna*, mox pugnavit *sua*? — Quid haec sibi volunt? Num duae Fortunae Velleii animo obversabantur, altera *varia*, altera *Caesaris*? — Vides, multo melius ex nostra emendatione Caesarem, suam

Fortunam sequutum, volaticam illam mobilemque Deam quam et ipse primo variantem nancisceretur, tandem virtute vicisse. Ita „*sua* Caesarem in Hispaniam *comitata Fortuna* est;" quae tamen mox iterum infida, „*increpita est* a Caesare, *quod se in eum servasset exitum.*" Planum est, toto capite Fortunam tamquam Deam inductam esse, neque usquam pro felicitate in universum positum esse vocabulum illud.

Quibus de caussis legendum censuerim:

„*Sequens Fortunam suam Caesar, pervectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primo variam fortunam expugnavit* ***virtute;*** *inclinataeque hostium copiae.*"

CAPUT XXXVIII.

Vell. II, 56. p. 79 ed. Orell.

„*Pecunia ex manubiis lata paullo amplius sexiens miliens sestertium.*" Cod. Amerbach.

Appianus [22]) C. II, 102. 95. auctor est, χρήματα ἐν τοῖς θριάμβοις παρενεχθῆναι μυριάδας ἓξ καὶ ἥμισυ·

[22]) Minus recte Schweighaeuserus ita vertit Appiani verba: *LX* millia talentorum *cum dimidio talento*;" optime, opinor, Dillenius V. D.: „*neunzig* tausend Talente." Namque (ut omittam notissimum illud, εἰς ἥμισυ = dimidio tantum) ubi sexaginta millia talentum numerantur, dimidium talentum non est memorata dignum.

ταλάντων; quae summa excedit numerum florenorum 220,000,000 [23]). *Nonaginta* millia talentum sunt *vicies millies et sexies decies* H. S. Etenim Ciceroni (Rabir. Post. 8.) decem millia talentum sunt Sestertium bis millies et quadringenties; Livioque auctore centum talenta sexcentis millibus denariorum aequant. — Haec et alia invenire licet apud Gronov. de Sestert. I, 9.

Quae quum ita sint, Velleio quoque idem cum Appiano numerus restituendus erit, scribendumque:

„*amplius vicies millies H. S.*"

Quod ita in *sexies* depravatum existimo. Scriptum erat literis s. maiusculis Romanis s. longobardicis VICIES; obsoleverat litera *c*; eoque modo, quod erat, *vicies* acceptum est pro VI^ies s. *sexies*. Ergo uti Appianum Velleius, ita Velleius Appianum h. l. illustrat.

CAPUT XXXIX.

Vell. II, 55. p. 62 ed. Orell.

„*Verecundia magis quam virtute acies restitutae C. A. duce quam a milite fortius.*" — **Ed. pr. p. 36. Sed. cfr. (praeter cod. Amerb.) Burerii annotationes.**

Krausius loco quem attulit Taciteo mihi non persuasit, etiam plurali numero dici posse: *acies restitutae*. Tacitus enim:

23) *I. F. Wurm* de ponderum numorum mensurarum — rationibus. Stuttgard. 1820.

> „*Memoriae proditur*, inquit, *quasdam acies inclinatas iam ac labantes a feminis restitutas constantia precum*" cett.

Atqui h. l. luce clarius est ipso plurali numero exercitus plures significari, qui sint diversis temporibus restituti. Hoc autem modo vocem *acies* etiam plurali numero usurpari vix est quod dubites. Quin ipsum etiam Velleium hanc in rem citare poterat Krausius. Ille enim:

> *Quas nos*, inquit, *primo anno acies hostium vidimus?* —

Ita plurali numero effertur v. acies ap. Caes. b. c. I, 82. 83. — ita ap. Liv. 25, 34. Agmina magis quam acies pugnabant. — Recteque Freundius in lexico quod nuper edidit latino pluraliter non collective positum opinatur v. acies. Verum ut haec omnia probari non possint, tamen h. l. pertinaciter vocabulo *acies* locum esse negamus. Attendas enim quaeso animum ad ea quae proxime praecedunt. „Caesar, consistens ante recedentem suorum *aciem*. Iam quid magis consentaneum quam ut consequatur: *Acies restituta.*

Fortasse scribendum:

> *Verecundia magis quam virtute acies restituta est a* [Caesare] *duce quam a milite fortius.*

Asyndeto tantum abest ut locum hic esse denegem, ut Coniunctio *et* h. l. posita orationem enervare videatur. Caesaris nomen indicans, olim mea opi-

nione litera C., tanquam glossa superscripta est vocabulo *duce*, deinde quod scripsi *est* idem iam supra semel ex lit. *e* formavi.

CAPUT XI.

Vell. II, 57. 2.

„*et uxor Calpurnia territa nocturno visu ut ea die domi subsideret orabat, et libelli coniurationem nunciantes dati ab eo, neque protinus lecti erant.*“ Ed. pr. p. 37.

Krausius V. D. Burmannum sequutus edidit: *dati ab obvio*, ita sese Ruhnkenio lenius agere arbitratus. Ruhnkenius enim legendum suspicatur: *dati ad eum, n. p. l. s.* Quae coniectura quamvis mihi haud placeat, tamen non audacior est quam Burmanniana. Sed quid multa? Mihi legendum videtur:

„*et libelli coniurationem nunciantes dati* ***adeo***, *neque protinus lecti erant.*“

Neminem fugit, hanc sententiam, quippe libellos datos esse, praecedentibus maiorem vim habere, unde suo, opinor, loco est particula *adeo*. Unum tantum modo obstat: Freundius quidem in Lex. Lat. raro et in prosa oratione fortasse nunquam dici significat *adeo* praemisso *que*: — *que adeo*. — Verum saepe poeticam redolet Velleii oratio, nihilque dubito quin huc faciat Plautinum:

„*Atque here te ipsum adeo contuor.*“

Ceterum antiquissima potest esse corruptela illa literae *b* pro *d* positae: quum et in Fastis Capitolinis lit. *D* ea sit, ut facillime in lit. *B* abeat.

CAPUT XLI.

Vell. II, 59. init.

„*De cuius origine etiamsi praevenit* &c, *pauca dicenda sunt.*" Ed. pr. 37.

Krausius edens *praevenit* et pauca „*Sic*, inquit, locum hunc vexatissimum constituendum putavi, *medicina ut videtur facillima.*" At vero haec non medicina est, sed aperta desperationis confessio, et levissima quidem, quum nullius sit momenti. Lacunarum investigatio nullius plane negotii res est.

Equidem Goettio, interprete vernaculo, duce iampridem conieceram in quod Baiterum quoque V. D. coniectura incidisse comperio ex Orellio V. Cl.

Sed hanc opinionem plane missam feci, ex quo intellexi, verbum *praeveniendi* nusquam alio sensu legi nisi ut sit i. q. praevertere, occupare. Quod quum ita sint, quomodo Velleius dicere poterat sese ab Augusto in ipsius vita scribenda praeventum esse et occupatum? Praevenitur nonnisi is, qui etipse praevenire potuisset. Quapropter nemo suam ipsius vitam describendo praevenit eum, qui tribus lustris post idem opus suscipit. Ergo de Augusto

hac in re non amplius cogitarim. Circumspiciamus igitur alia.

Constat inter omnes, M. Valerium Messalam Corvinum librum confecisse de Progenie Augusti. Neque tamen amplius exstat liber ille, etenim qui vulgo eo nomine fertur, spurius est et suppositus. Itaque fortasse mecum legendum coniicies:

„*etiamsi praevenit* ***alius***,“

Quae hoc sensu dicta putamus:

„*De origine Augusti tametsi fortasse acta acturi simus, quum nos hac in re praevenerit Messala Corvinus* (s. alius quispiam) *paucis tamen exponemus.*“

Quae quum literis mandassem, iam prope dolui me non primo potius loco posuisse alteram quam et ipsam cepi coniecturam. Etenim haud scio an non magis etiam Velleiana sint haec:

„*Cuius de origine, etiamsi* ***praeteriit ipse,*** *pauca dicenda sunt.*“

Quae si revera Velleii sunt, nituntur his Suetonii [24]: „*Ipse Augustus nihil amplius* quam equestri fa- „milia ortum se *scribit* vetere ac locuplete et in „qua primus senator pater suus fuerit.“ Augustus enim haud dubie certis de causis propter generis qua esset obscuritatem, tam pauca de origine sua iecisse putandus erat. Itaque offendi fortasse potuit Tiberius, quum quod pater eius abscondere voluisset, in lucem protraherentur. Neque enim

24) Vide *Jani Rutgersii* lectiones varias ad Gustav.

ignorat quisquam Tiberii erga Augustum adulationem atque ostentatam pietatem. Accedit quod si Augusto ingrata esse poterat originis suae in vulgus edita notitia, Tiberio eadem haud minus aegre ferenda erat. — Unde haud inepte Velleius illis „*etiamsi praeteriit ipse*“ veniam quasi petiit Tiberii.

De Orelliano: „*etiamsi praevertenti*“ quod interpretatur, „ad alia festinanti,“ iudicium ferant Viri me Latine doctiores. Equidem (quamvis certi quid dicere vix ausim) vereor, festinandi notio ne non insit in verbo *praevertere*.

CAPUT XLII.

Vell. II, 60. p. 82 ed. Orell.

„*Actorum eiusdem insertis falsis civitatibusque corruptis commentariis.*“ Ed. pr. 38.

Liceat mihi, praeeunte Ruhnkenio silentio praeterire quae alii ad hunc Velleii locum sanandum attulerint. Legat illa apud eos qui volet, ne ipso quidem Ruhnkenio excepto. Haec enim sunt fata hominum, alter alterius humeris insistit, et qui hodie alterum perdit cras ipse iacebit. Nisi forte pudori esse debeat talia in summum virum dici a me, vixdum Musarum templum ingresso.

Sed veniamus ad id quod agitur. Ita haec legi malim:

„*Actorum eiusdem insertis falsis* **pravitati***busque corruptis commentariis.*“

Quae scriptoris verba sic explicanda sunt: actorum eius commentarii insertis falsis pravitatibusque corrupti erant, sive ut alio quoque modo loci sententiam explanemus: Actorum eius commentariis et falsa inserta erant et erant iidem pravitatibus corrupti ceu depravati. Vocab. *falsa* utrum substantivi loco positum putes, an adiectivi, ut subintelligatur quod praecedit v. *acta*, perinde est.

Pravitates plurali numero dici quum dubium visum sit amico cuidam meo, affero hunc Ciceronis locum: „*Pravitates animi reste vitia dicuntur.*" Vid. Parad. III.

Cludii coniectura „vitiatisque corrupti commentarii" eo quidem praestat quod non tot ablativos coniunctos praebet: sed tamen et aliquanto facilior est emendatio si qua est nostra, nec raro complures ablativi vicini sunt. Cfr. enim Caes. B. G. II. 33. III. 29; quo ultimo loco septem Ablativi iuxta positi leguntur.

CAPUT XLIII.

Vell. II. 64, p. 86 ed. Orell.

„*Sed tribuni sanguine commissa, proscriptio Ciceronis vel satiato Antonio poena finita.*" Ed. pr. p. 39. Melius cod. Amerb. „*paene finita.*"

Pro illo *vel* quod una cum falsa, quam Rhenanus posuit, distinctione retineri nequit, Claud. Puteanus primus *velut* scripsisse traditur. Quae con-

iectura quamvis a Ruhnkenio inde vulgatae lectionis instar in omnes transierit editiones, mea quidem sententia reiicienda est.

Neque enim hic opus est verbo aliquo quod translatae alicui locutioni intercedat, optimeque Ciceronis caede satiatus dicitur Antonius; vix ferri potest verbum s. *quasi* s. (quod idem est) *veluti.* Eadem ratione — quem locum ipsius Ruhnkenii doctrinae debeo — Livius: „*nec satiatus*, inquit, *virorum poena insepultos proiecit.*" Atque in universum multo rarius quam vulgo ab iis qui hodie latine scribunt fieri solet veteres utebantur vocabulis *quasi*, *veluti*, aliis, quippe quae frigidi aliquid ignavique affundant orationi [25]).

Quamobrem vocabulo *velut* ablegato haec suadeo legantur:

„*Utrique vindicta libertatis morte stetit: sed tribuni sanguine commissa* (incepta) *proscriptio Ciceronis* **interitu** *satiato Antonio paene finita.*"

Voculam *ut* (vel) si non *interitu*, sed *caede* esse contendas, nihil moror; modo alterutrum scribas.

Gratias agamus Orellio qui codice Amerbachiano publici iuris facto, a molesto illo v. *poena* nos liberarit.

Restat ut addam septimo quidem et sexagesimo capite rectissime legi „*velut in dotem invitamentumque sceleris*" quippe inusitatior est translatio;

25) Conferatur *Handius* „Lehrbuch des lateinischen Stils" §. 56. p. 286.

quod tamen non item cadit in verbum *satiari.* — Multitudinem locorum affert Forcellinus s. v. *satio* et *satiatus*, quorum ne unus quidem cum v. veluti s. quasi coniunctam exhibet translatam satiandi notionem.

CAPUT XLIV.

Vell. II, 66. p. 86 ed. Orell.

„*Furente deinde Antonio simulque Lepido quorum uterque ut praediximus hostes iudicati erant: cum ambo mallent sibi nunciari, quid passi essent quam quid emeruissent, — instauratum Sullani exempli malum, proscriptio.*“ Ed. pr. p. 40.

Ruhnkenius verbum *nunciari* „in mendo cubare“ putavit, ita quidem locum sanum non esse persuasum habens. Qua in re omnino assentior Viro summo. — Quid enim? num proscriptione illis nunciaretur necesse erat quae ipsi passi essent? Haec haud dubie probe aut potius improbe tenebant. Herelium autem virum alioquin sagacissimum secum in errorem traxit Hottingerus V. D. Eius enim explicatione inductus, h. l. de Lepido et Antonio reip. hostibus iudicatis cogitavit quum plane non dubium sit, verbis *cum ambo mallent — emeruissent* proscriptionis causam et originem demonstrari. Nihili igitur est Herelii coniectura „*quid possent.*“ Melius autem ni fallor legeretur:

„*cum ambo mallent civibus nunciari,*“

hoc sensu: malebant triumviri, proscriptione intérimi omnes quotquot haberent inimicos, ita tamen ut his ipsis caedibus quae et quanta passi essent publice nunciaretur, quam ut iidem inimici secum reduces flagitia sua sceleraque civibus detegerent denudarentque. Proscriptionibus h. l. inimicorum, quorum iniurias passi erant, multitudo indicata esse dicitur.

Quippe insequentia ostendunt, Antonium et *Lepidum* suos tantummodo, minime reip. adversarios morti dedisse. Unde quum proscriptionum nuncius Romam perveniret, cives facile norunt, quae proscriptorum quisque in Antonium Lepidumve commisisset, itaque illi proscriptionibus quid ipsi ab inimicis passi essent nunciari voluerunt.

Ceterum non praetermittam me olim aliam coniecturam fovisse. Scripturus eram: *civibus revocari.* Ita h. l. ipsum quod praecedit „host. iud. erant" tangeretur. *Nuari* et *ruori*, quae sunt verborum *nunciari* et *revocari* compendia, haut ita multum inter se differunt.

Voc. *civibus* eodem quo hic sensu legitur apud Vell.: „dictitans, nihil amplius civibus praeter tyranni petendum esse sanguinem." — *Sibi* autem pro *civibus* lectum esse facile colligis quum ex iis quae de mutatis *s* et *c* literis supra memoravimus, tum ex compendiis vocabulorum *civi*, *civitatis*, similium, quorum quodque mediam syllabam *vi* omittit.

CAPUT XLV.

Vell. II, 66. p 87. ed. Orell.

„*Dumque hoc — rerum naturae corpus — manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur; citiusque in mundo genus hominum quam cedet.*“ Ed. pr. p. 40.

Constat inter omnes, hic aliquid deesse. Neque tamen Ruhnkenius ante vocabulum *quam* signum illud crucis ponere debebat, quippe quod a Rhenano non tamquam lacunae index, sed tantum ut notam in margine ascriptam esse indicaret, typis expressum est. Rhenanus enim post v. *quam* verba quaedam inserenda esse putat; quae quamvis ab omnibus in textum recepta sint, mihi tamen displicent. Primum enim non mutarim vocab. *cedet*; cui rei Orellium quoque haud repugnare, non sine voluptate comperi. *Cedere* enim est vernaculum schwinden, latinis non ignotum.

Haec enim Cicero: „*Horae quidem cedunt,*“ haec Lucilius: „*Pudor cessit;*“ haec denique Statius: „*Cedant curaeque metusque.*“ Vid. Forcell.

Notum est diplomaticarum rerum scientia vel leviter imbutis, praepositionem *in* una litera *i* scribi solere literasque *i* et *e* sexcenties permutari.

Accedit quod in exemplari Amerb. legitur „*citius quem mundo.*“ Quare fortasse litera *i* omnino non lecta est in cod. Murb.

Pro „*huius nomen*," quod Rhenanus intercidisse putat, equidem malim: *Ciceronis nomen.* Quod ut censeam adducor et numero orationis, et similitudine literarum. Verba *Ciceronis nomen cedet* plenius sonant suntque praeterea concinnius dicta, utpote respondentia illis *Ciceronis laudem trahet;* faciliusque quam illa: „*huius nomen*" potuerunt cum illo „*hominum*" propter ductuum similitudinem confundi itaque omitti.

Scribendum igitur:

„*Citiusque e mundo genus hominum, quam Ciceronis nomen cedet.*"

Fortasse etiam illud *i* (in) sive plane non est a Velleii manu profectum sive in *ex* augendum.

Verba autem illa *Ciceronis nomen* propter praecedentium vocab. similitudinem interciderunt.

CAPUT XLVI.

Vell. II, 68. §. 1 & 2.

Primum equidem in prima capitis paragrapho retinuerim quod in codice exstitisse compertum habemus: „*Africaque.*" Tanto transcursu (ut Velleiano utar verbo) dicenti vitia temporum parum accurate definitorum facile condonantur. Idemque infra (id quod ipse monuit Ruhnkenius) tempus restitutionis Pompeii et praefecturae ipsi demandatae non satis distinguere videtur. At memineris quae

cap. 55. narrata erant: Sequens Fortunam suam Caesar, pervectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primo variam Fortunam expugnavit virtute, inclinataeque hostium copiae." Quorum memor, nescies nobiscum quid sibi velit Krausius, contendens, non cogitandum esse de bello Caesare auspice in Africa gesto. Verba illa quae statim sequuntur: *vir eloquio Curioni simillimus* Velleio Africanum bellum in animum revocanti facillime excidere poterant. Quin ipsa verborum positio ostendit, scriptori h. l. iacta voce *Africaque* etiam lectores suos earundem rerum Curionisque meminisse visos. Etenim si tanquam novam plane personam induxisset Curionem, scripsisset: „*M. Coelius, vir eloquio animoque simillimus Curioni.*" Quod etsi neges (et scio multos fore qui tales quas dicant nugas ineptiasque prorsus nihili faciant) non repugnabis tamen quominus in his legendis voci *simillimus* sonum addas, neque recitabis: „vir eloquio animoque *Curioni* simillimus," sed „vir eloquio animoque Curioni *simillimus.*"

Et ne quid reliqui faciam, Caesaris illa „*Iisdem temporibus* (vid. B. C. III, 20) quum demonstrent, illum ante pugnam Pharsalicam commissam seditionem movisse, verisimile est, Velleium res paullo et ante et post gestas seditionis illius chronologice definiendae pro terminis posuisse. Neque est quod addam, vocabulo *Africaque* hic minus diligenter verba *in acie Pharsalica* excipi.

Iam ad alteram capitis partem accessimus. Itaque haec exstant Editionis pr. p. 41:

„cum in modica quidem servari posset (quippe peior illi res familiaris quam mens erat).“

Ruhnkenii coniectura: „cum in otio ac quiete servari non posset,“ audacia, non pretio superat illam Ed. Bas.: „cum ne a Diis quidem servari posset.“ Attamen neutra placet. Illud vero recordari iubet Krausius: „Velleium saepius res novas et tumultus domesticos tanquam ad causam referre ad rem familiarem pessimam hominum; illud effici ex cap. 25, 1. — 49, 2. — 91, 3.“ — Quod (quamvis in ceteris a Krausio utpote Ruhnkenium sequuto recedens) accipiendum duco. Mihi enim et ipsi h. l. Coelii et paupertas et aes alienum tangi videtur, dicique, eum quum ne modicas quidem quas primo debuerit pecunias solvere potuisset, divitiarum studio incensum, bellum inchoasse domesticum. Scribendum igitur:

„Cum ne modica quidem solvere posset.“

Voculae *in* a me in *ne* facta mutatio neminem offendet; neque v. *solvere* difficiliter ex verbo *servari* elici poterit, praesertim quum in monumentis seculi XIV et XV vocum *servet*, *servare*, al. compendia exstent *su*, *suare*. Cuius originem scripturae ex ipsis diplomatices regulis explicat Mannertus, docens, syllabae *er* peculiare signum esse in diplomatis antiquis.

Sed Velleius iis, quae sequuntur: *quippe peior illi* cett. excusat quodammodo Caelii aes alienum:

non tam sua ipsius voluntate, quam necessitate coactus novis rebus studuisse dicitur Caelius. Erat enim Curioni simillimus, quem et ipsum quamvis ingeniosissime nequam dicat Velleius, tamen hominem plane perditum non habuit.

CAPUT XLVII.

Vell. II, 68. 2. p. 89 ed. Orell.

„Nequiitque senatus & auctoritate Coss. deterreri.“
Ed. pr. p. 41.

Lipsii iussu in vulgatis legitur: *nequiitque senatus & auctoritate Cos.*: „frequenti, ait Ruhnkenius, vocum traiectione.“ Quae sitne frequens necne in medio relinquemus; durior certe est et, mea quidem sententia, coniecturarum ope in textum non introducenda. Contempleris quae allata sunt exempla: in omnibus certa quaedam causa illius verborum traiectionis reperitur. Examinemus quae Ruhnkenius citat haec Suetonii: „Triumphalia ornamenta, etiam quaestoriae dignitatis et nonnullis ex equestri ordine tribuit.“ Quae nonne facillime sic explicare licet: „*Et* triumphalia *et* quaestoriae dignitatis ornamenta *etiam* nonnullis ex equestri ordine tribuit?“

Quum igitur traiectioni vix locus sit, quumque pluralem vocis *Coss.* (= consulum) numerum historia ipsa condemnet (solus enim Servilius adversabatur Caelio) assentieris fortasse mihi ita scribenti:

„*nequiitque senatus consulti auctoritate consilio deterreri.*“

Vocabulum *cti*, exoleto illo *i* de more pro eo quod volumus verbo Consulti positum pro copula *et* perperam accepit librarius. Notum est, Senatus decreta sic inscribi solita: „S. C. A. = Senatus consulti auctoritas.“ Quod h. l. etiam propter ipsum orationis numerum probandum est.

Verbum *deterreri* nullo addito vocabulo positum mihi iamdudum displicuit, mea ex emendatione accessit v. *consilio*. Omissam praepositionem tueor Horatiano illo:

„*Silvestres homines*“ —
„*Caedibus & victu foede deterruit Orpheus.*“

Eadem ratione verbum *arcendi* cum solo ablativo iungi solet.

De voce *consilio* quam sub illo *coss.* latere putamus, compares quae supra cap. XXX a nobis dicta sunt.

Superest ut de Orellii lectione paucis exponamus. Cui lectioni quamvis nos nihil debeamus, quum his demum scriptis eam cognoverimus, tamen ideo multum tribuimus, quod neque Lipsii splendore obstrictum prodit Orellium, et ei quam nos invenimus quam proxime accedit. Mea autem emendatio Orelliana, ni fallor, facilior est.

CAPUT XLVIII.

Vell. II, 68. 2. p. 89. ed. Orell.

„*In urbe seditionem, haut magis occulte bellicum tumultum movens.*" Ed. pr. p. 41.

Rhenanus, tametsi edidit *haud*, coniecit *aut magis occulte*; Burerius quamvis subtimens legendum suspicatur: *magis autem*. Unde illud certe pro comperto habemus, in codice M. exstitisse *haut* non *haud*.

Quae lectorum oculis subiecimus, codicis Murb. verba, a Lipsio et Ruhnkenio iure quidem sed minus feliciter impugnata sunt. Namque scribendo „in urbe seditionem, at in agris bellicum tumultum movens" Ruhnk. istud *at* videtur Velleio plane invito intrusisse. Moleste, opinor, feres particulam adversativam tali in comprehensione positam. Inducatur velim.

Sagacissimam Lipsii coniecturam „in agris" quamvis idoneis rationibus confirmarit Burmannus, tamen propter ipsas res a Coelio gestas non possum quin recusem.

Circa *Thurios* enim (ut Velleii verbis utar) oppressus est Coelius; in *Thurinum* ad sollicitandos pastores praemisit Milonem. Enimvero urbs Thurii longe remotior erat ab urbe, quam ut bellum ibi conflatum *in agris* comparatum dici posset. Agri

enim quum urbi opponuntur nonnisi vicinae urbi regiones sunt. Quamobrem scribendum erit:

„*in urbe seditionem hac autem magis occulte bellicum tumultum movens.*“

Verba *hac autem* coniuncte scripta erant *haut*; quod signum ut assolet confusum est. Neque enim solum *at* sed haud raro etiam *aut* in diplomatis est *autem.*

Denique notare licet nimiam periodi huius longitudinem, quae quo diminuatur in duas dissolvenda erit. Quem in finem vocab. *erat* alterius periodi in exitu, *at* vero, ab eodem illo vocab. *erat* derivatum, alterius in initio ponamus. Hoc modo:

„*Dum in acie Pharsalica Africaque de summa rerum Caesar dimicat, M. Caelius, (vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam) cum ne modica quidem solvere posset — quippe peior illi res familiaris quam mens erat, — in praetura novarum tabularum auctor exstitit, nequiitque Senatusconsulti auctoritate consilio deterreri, accito etiam Milone Annio, qui non impetrato reditu Julianis partibus infestus erat. At in urbe seditionem, hac autem magis occulte bellicum tumultum movens primo summotus a rep., mox consularibus armis auctore Senatu circa Thurios oppressus est.*“

CAPUT XLIX.

Vell. II, 68. 5. p. 89. ed. Orell.

„Notetur, immodica — libertate usos adversus Caesarem Marullum — Flavumque Caesetium — pene vim dominationis expertos. In hoc tamen saepe lacessiti principis ira excessit ut censoria potius contentus nota quam animadversione dictatoria summoveret eos a Rep.“ Ed. pr. p. 41.

Dicuntur adversarii illi pene experti esse vim dominationis. Quare quum sequatur *In hoc tamen*, propter hoc ipsum *tamen* necesse est enuncietur illos nihilo secius vim illam dominationis haud ita graviter expertos esse; necesse est, inquam, illi vim dominationis, quam *paene* experturi fuisse dicuntur non passi esse ostendantur.

Cui rei nihil melius respondet, quam quae ipsa sequentibus verbis inest sententia. Sed tamen verbum *excessit* et huic sententiae, et illi quam excipit voculae *tamen* omnino adversatur. Etenim si vera essent illa: *In hoc Augusti ira excessit*, diceretur tunc modum excessisse prorumpens Principis ira, essetque omnino necesse, in sequentibus atrocius quoddam Augusti factum referretur, quum contra his ipsis verbis: *censoria potius contentus nota quam animadv. d.* manifesto ipsa Augusti moderatio et clementia collaudetur. Quod mirum est fugisse Ruhnkenium, idque eo magis, quod ipse attulerit locum hunc Livianum: quo ultra

iram violentiamque eius excessuram fuisse? Atqui apparet, quid sit in hoc locutione verbum excedere.

Atque Goettius V. D. sic vertit: „*Doch ging der so oft gereizte Zorn des Fürsten nicht weiter.*“ Enimvero quae vulgo leguntur vernacule si reddimus, haec sunt: Der Zorn ging *so weit*, dafs etc. quae tamen quoniam inepta sunt emendemus, si qua fieri potest, corrigamusque. Itaque haec habeo quae offeram. Syllaba *ex* in *re* mutata scribamus:

> „*In hoc tamen saepe lacessiti principis* ira *recessit, ut censoria potius contentus nota quam animadversione dictatoria summoveret eos a rep.*“

Sensus est: Attamen ab ipsa irae eruptione usque ad animadversionem qua illi satisfaceret, in tantum defervuerat furor eius, ut censoria contentus nota a rep. tantum removeret quos dictatorio imperio usus capitis damnare potuisset.

Quare ut supra cap. primo syllabam *re* in *ex*, h. l. syllabam *ex* in *re* corrigendam putamus.

Ceterum quam modo in medium protuli coniecturam haud scio an non Orellius ipse pro ea qua est humanitate praelaturus sit suae: *discessit.* Cui nimis multa supplenda sunt.

In hoc autem quarto non sexto casu dictum esse, confirmat quod II, 80. 2. legitur; „*In id* furoris processerat.“

CAPUT L.

Vell. II, 69. 2. p. 90 ed. Orell.

„& C. Cassius — inclusum Dolabellam, qui praeoccupata Asia in Syriā pervenerat, Laodiceam expugnata ea urbe fecerat ita tamen ut adiectum servi sui Dolabella non segniter cervicē daret.“ Ed. pr. p. 41. Burerio teste Ex. vet. habet: *Laodicia expugnat.*

Parum ad ipsa Beati Rhenani verba attendit cum Ruhnkenio Krausius V. D. scribens „*Laodiciae expugnata ea urbe inter* (*con*)*fecerat;* parum rationem habuerunt Burerii, diserte monentis, *Laodicia,* non *Laodiceam,* et *expugnat non expugnata* ab ipso codice exhiberi. Rhenani au tem verba signo crucis non ante v. *fecerat* sed ante v. *urbem* posito demonstrant, illud *urbe* ita scriptum fuisse, ut coniecturae locum reliquerit, neque tamen ante v. *fecerat* lacunae quidquam comparuisse. Quamobrem nihil dubium, quin scribendum sit:

„*inclusum Dolabellam — Laodicia expugnata interfecerat,*“

Quae lectio non repugnat Burerii auctoritati, etenim quem vocab. *expugnat* addidi literam *a*, eam petii ex syllaba *ea*, false haud dubie librarii incuria a suo disiuncta verbo. Sciunt praeterea philologi, compendium vocis *inter* quam proxime accedere ad v. *urbe*, quippe quod sit *it.* Literae *eu*, um superscripta illa syllabae *er* notula facile in ea quae in libro primum edito sunt depravabantur, praesertim quum litera *t*,

ut assolet in longobardica seculi XIV. scriptura e versu non emineret.

Denique non possum mihi temperare, quin profitear, iamdudum mihi istud *ad ictum servi sui* displicuisse, tametsi est ab omnibus quod sciam comprabatum. Diiudicent Latinitatis arbitri me et doctiores et acutiores meliusne h. l. dativo adiungatur verbum praebendi. Quidsi scribendum esset:

„*ita tamen, ut ad ictum servo suo non segniter cervicem praeberet?*“

Ita infra: extentam cervicem interritus liberto praebuit.

CAPUT LI.

Vell. II, 69. 3. p. 90. ed. Ruhnk.

„*Cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur et Vatinius nulli nomini non esset postferendus.*“ Ed. pr. p. 41. Bo. Amerbacch. nulli nōi.

Ruhnkenius vocabulum *nomini* expellendum censet, utpote ortum ex variante scriptura sequentis *non.* Attamen Graevium ad. Cic. parad. IV, 1. ab illo in auxilium vocatum Ernestio duce fugavit Gernhardus. Equidem penes nos si quid hac in re iudicium est hoc loco observationem quandam confirmari putarim, cuius ope quum alios multos locos, tum hunc ad sanitatem certam reducere liceat.

Quippe animadvertimus, codicis Murbacensis scriptorem singulari quodam errore captum passim

literas, vocabulis ad quae pertinebant superscriptas alienis fere locis inseruisse, itaque quae ad finem verborum esse deberent eorundem ad initium collocasse. Exemplis rem et explicemus, et confirmemus. Sed haec ut uno sub aspectu oculis lectoris subiiciam, tabellam conficere iuvat, cuius in prima columna loci Velleiani, in altera lectiones codicis Murb., in tertia lectiones verae, quas librarius Murb. prodere debebat, in quarta denique ea verba, quae nunc in textum recipienda sint, proponantur.

	Loci Velleiani.	Cod. Murb.	Lectiones verae.	Emendationes.
1.	I, 2. 2.	rixam ncies	rixam $\overset{n}{\text{cies}}$	rixam ciens.
2.	I, 17. 4.	scalptoribusq. uisquisq.	scalptoribus- q. quisq^{uis}	scalptoribusque quisquis
3.	II, 27, 5 et 116, 4.	imagine imaginis	$\overset{i}{\text{mag}}{}^{e}$ $\overset{i}{\text{mag}}{}^{is}$	magnitudine magnitudinis
4.	II, 34, 3.	eripuit	$\overset{er}{\text{apuit}}$	aperuit
5.	II, 51. 1.	retinuetur	$\overset{re}{\text{obtinetur}}$	obtineretur
6.	II, 114, 1.	genitio	$\overset{go}{\text{netio}}$	negotio

1) Krausii, vel certe a Krausio defensa coniecturae: *rixam iniiciens*, adversatur ipsius linguae Latinae indoli. Rixa enim nonnisi aliis iniicitur iaciturque ut ita dicam inter medios alios ab eo qui ipse pugnae expers remaneat. Quod in Codrum non quadrat. Ceterum ex Orellio Cl. levi sane de transpositione cogitante quaerere ausim, malitne hoc: *„immixtusque castris, de industria imprudentibus rixam ciens interemptus est.“*

2) Veram, quae nobis quidem videtur, lectionem nemo, quod sciam, prodidit.

3) Has duas correctiones Ruhnkeniano debemus ingenio.

Itaque has, quas conspicis, VV. DD. coniecturas (neque enim vix ullam solus inveni) ut diplomatices auctoritate tuerer contigit. Quibus praemissis facile, opinor, concedes, simili modo spretum istud v. *nomini* ortum esseex eo quod mihi scribendum videtur: *omnino.* In eo, quem libr. Murb. descripsit, codice scriptum erat oi^{no}; illud librarius, quum legere debuisset *omnino* pro voce *noi* (= nomini) accepit.

Quare legendum:

„*Cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur, et Vatinius nulli omnino non esset postferendus.*“

CAPUT LII.

Vell. II, 73. 2. p. 93. ed. Orell.

„*Post Antonii A mutinam fugam.*“ Haec Burerio teste cod. Murb. Ed. pr. p. 43.

Inconsideratius omnes plauserunt Burerio, coniicienti: *Antonii a Mutina fugam.* Sed — ut omittam literam illam maiusculam *A*, non temere scriptam a librario — mutatio verbi *Mutinam* in *Mutina* nisi necessaria est evitanda potius quam quaerenda erit. Itaque erunt fortasse, qui mecum legant:

*post Antonii **ad** Mutinam fugam,*

i. e. postquam Antonius prope Mutinam fugae se dedit. Praepositionis *ad* altera litera *d* exoleta haud dubie erat.

CAPUT LIII.

Vell. II, 74, 2. p. 94 ed. Orell.

„Modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos qui iuste divisione praediorum — agros amiserant, ad arma“ Ed. pr. p. 43.

Aut relinquendum quod Ed. pr. exhibet *iuste*, aut scribendum erit aliud quam quod Krausius vult: *iusta*; quum tantum si quid ante iniuste possedissent Campani, *iusta* i. e. aequa parique agrorum divisione aliquid amissuri fuisse videantur. Sed adiectivum *iusta* redundaret, quum non *iusta* divisione, sed ipsa omnino divisione agros suos amisissent quos ad arma concierat Antonius. Neque est quod de solo scriptoris iudicio quod contineatur adiectivo *iusta* cogitemus, quum illud si statuas eadem plane ratione adverbium *iuste* retinere liceret. Quamobrem legendum suspicor:

> *„modo eos, qui iussu eius divisione agrorum amiserant.“*

In quo vix vereor ne temeritatis postuler, quum et syllabae quales *se* saepius exciderint in cod. Murb. (memineris v. c. illius *desideras*), et pronomen *eius* fere per compendium scribatur; atque — nisi de compendio vocabulae *eius* hic mihi accedas — aspice has literas vicinas: *iuseius*. De re autem cfr. Suet. Oct. 13.

CAPUT LIV.

Vell. II, 76. 4.

Historicorum, opinor, interest inquirere in eam quae Velleii temporibus fuerit equestris ordinis conditionem. Duobus enim locis mihi satis clare, ut hic, *obscurissima initia* cum equestri ordine componi videntur. Dico autem hos locos: II, 88. 2. p. 364. Maecenas equestri *sed* splendido genere ortus; II, 127. p. 485. Sub his exemplis — Seianum — principe equestris ordinis patre natum. Et comparetur totum illud caput.

Quorum locorum memor vix miror illud, quod ipsi Niebuhrio scrupulum iniecit. Quippe Velleium Marium quem tradit equestri loco natum eundem ignotae originis virum appellare. Praecipue *sed* illud satis declarat quo sensu Marium ignotae originis virum perhibuerit Velleius.

CAPUT LV.

Vell. II, 78. 1.

Velleius hic vocabulo *momentis* eodem sensu utitur quo supra l. I, 31. dixit: „Graecia magnis concussa est *motibus*;“ quem ipsum locum quum excitaret Krausius, non erat quod Ruhnkenium nodum in scirpo quaerentem sequeretur, praesertim quum nisi

falluntur lexicographi et Cicero et Livius verbum illud eadem cum Velleio significatione usurparint. Rectissimeque Forcellinus hunc ipsum locum una cum Lucaniano quodam significationis illius tanquam documentum posuit.

CAPUT LVI.

Vell. II. 80. 2. p. 99 ed. Orell.

„*Dissidendo in consiliis Caesaris et semper diversa his quae aliis placebant dicendo.*" Ed. pr. p. 45.

Minus recte Krausius hoc quoque loco de more suo Ruhnkenii vestigia premens vocabulo *Caesaris* finalem abscidit literam, nihili noxiam. Quin adeo minus convenit Velleio casus Dativus quam Genitivus. *Dissidere alicui* nonnisi uno eoque Horatiano loco reperitur. Neque vero ipse loci sensus dativum patitur. Lepidus enim in universum litigiosi pervicacisque hominis partes suscepisse, minime ipsi Caesari adversatus esse dicitur. Quae sequuntur: *et semper — dicendo* merae verbi *dissidendo* explicationi s. exsequutioni inserviunt. Sensus est: Lepidus Caesaris in consiliis (Kriegsrath) dissidebat semper ab aliis, iisque contradicebat.

CAPUT LVII.

Vell. II, 80. 2. p. 99 ed. Orell.

„*Ut inutilis in alienae victoriae comes.*“ **Haec Amerbachio et Burerio testibus cod. Murb. — Ed. pr. p. 45.**

Displicet mutatio verborum *alienae victoriae*, displicet illud *in aliena victoria comes* quo multo profecto praestantior est Genitivus. Quare, ne quid depereat, coniecerim:

„*ut inutilissimus alienae victoriae comes.*“
Nisi quis malit: *ut inutilis licet.* Ita et infra cap. LXXXIII pro eo, quod est in ed. pr., *in* reponemus *licet.*

CAPUT LVIII.

Vell. II, 82. p. 100. ed. Orell.

„*Qua aestate Caesar tam prospere Libium in Sicilia bene fortuna in Caesare et rep. militavit ad Orientem.*“ Ed. pr. p. 46. — Exempl. Amerb.: „*in Sicilia Bñ.*“

O crucem interpretum! o locum conclamatum! — Nobis ut unum certe restitueremus contigit. Quippe monstrum istud *Libium* nihil est nisi *bellum.* Id quod hunc in modum explicandum est. *Bellum* in diplomatis est *bllm*, quod de more sic scriptum reperit librarius: *bm* (with *u* written above); qui falsa illa literarum transpositione usus scripsit *llbm*; unde quum *bm* sae-

pissime sit *bium*, factum est lepidissimum illud *libium*. Literae nimirum *l* et *i* sexcenties permutantur. Deinde literarum ductus et illa saepius (puta sexies) repetita lit. *i* in verbis *Libium in Sicilia* propter formae similitudinem facile potuit caussam praebere omittendae vocis, quam intercidisse coniicimus, *finivit*, ut scriptum fuerit:

„*Qua aestate Caesar tam prospere bellum finivit in Sicilia.*"

Quae sequentibus afferenda sit medela nescimus, suspicati olim, inserendum esse vocab. *minus*, ut scriberetur:

„*Minus bene fortuna in Caesare et rep. militavit ad Orientem.*

Simili ratione alio quoque loco respublica cum Caesare coniuncta commemoratur. Sensum hunc esse argumentabar: dum Caesar ipse prospere rem gesserit ad Occidentem, Fortunam ad Orientem minus favisse reip. Atqui iam et hunc nobis (qualiscunque erat) respectum ademit propemodum absciditque cod. Amerbachianus, voculam *Bñ*, non *bene* praebens. Quare quid faciam haereo, nisi si forte probes haec: „bona fortuna (s. belli fortuna) contra Caesarem et remp. militavit ad Orientem." Vid. tabellam, ex qua *bõ* est *bona*. Cic.: *Bona fortuna belli.*" — Quodsi verum est in quod coniectura incidi adiect. *bona*, habes hic epitheton quod dicitur ornans.

CAPUT LIX.

Vell. II, 82. 4.

„*Cothurnisque succinctus.*“

Quamvis notum sit quod Krausius docet verba cothurnis solemnia esse s. vinciri s. niti s. inniti: tamen neque subniti cothurnis dici potest, neque quod vulgo legitur *cothurnis succinctus* immutandum esse cum Orellio subtilissimo Latinitatis arbitro contendimus. Succingi cothurnis poëtica sed etiam Velleiana locutio est, cuius loco prosae orationis scriptores posituri fuissent: cothurnos succinctos gestans. Et respicias quaeso Graecorum *ὑποδεῖσθαι.* Ita ap. Herodot. 1, 155. 61. *κοθόρνους ὑποδέεσθαι.*

CAPUT LX.

Vell. II, 83. 2. p. 102 ed. Orell.

„*Mox autem hunc mox avunculum imitatus est.*“ Ed. pr. p. 47.

Accidit hic quod saepe, ut librarius quae falsa scripserat puncto deletili notare negligeret. Hoc autem modo in errorem inductus est. Legebatur in eo unde liber Murbacensis fluxit codice: *moxauunculum.* Quod falso dirimens legit: *mox au unc,* ut fieret: *mox autem hunc.* Quae tamen quum scripsisset subito, quod restitit, illud *ulum* animadvertens

intellexit coniunctim legendum esse *moxavunculum.* Itaque illud quoque literis mandans depravatae editionis principis lectioni originem dedit. Scribendum est igitur:

„*Mox avunculum Titius imitatus est.*“

CAPUT LXI.

Vell. II, 83. 3. p. 102 ed. Orell.

„*Absurde Coponius viro E. praetorius gravissimus pater Silii socer.*“ Cod. Amerb. et Murb. teste Burer. ad pag. 47. Editionis pr.

Scribendum fortasse: *Vir egregius praetorius gravissimus Pater Silii socer.* Namque quod Grunerus legit *vir praetorius gravissimus, P. Silii socer* per Waltheri certe auctoritatem non stat, quum vox pater s. *pr.* s. *pat.* scribatur in documentis antiquis. — Accedit quod ex consequente illo *in senatu* et allatis Coponii verbis, ut quae ostendant viri honestissimi gravitatem, probabilissime efficimus, Coponium h. l. gravissimum Senatorem *Patrem* appellatum esse.

Sed tamen quum video Oudendorpium ad Sueton. Aug. 71 de litera *P* et *Publius* et *Pater* significante exposuisse, haereo, iisque quibus ut nomini Silii praenomen addatur necessarium videtur haec offero:

„*Vir e praetoriis gravissimus P. Silii socer.*“

At nequeo mihi temperare, quin et verbum addam de illo Coponii dicto, quod aliis VV. DD. leporis plenum, Orellio corrigendum videtur. Mea quidem opinione Coponius, in Plancum nefanda Antonii flagitia non sine voluptate multisque cum verbis exsequentem satis amare haec iecisse dicitur: „Atqui Antonius ergo multa *tecum* commisit facinora! egregio tu priusquam ad nos redires sodalitio usus es." Offendebat ni fallor subtilissimum Orellii iudicium in verbo *„pridie quam,"* quod verbum h. l. non i. est q. pridie eius diei s. illo die qui praecessit ei quo tu illum relinqueres, sed — significatu fortasse inusitatiore — valet: ante s. usque ad eum diem quam; aequat propemodum adverbio *priusquam.* Verterim: Ja wahrhaftig, Antonius hat viele Streiche gemacht, eh' (bis auf den heutigen Tag da) *du* ihn verlassen hast!" — Falsus est Goettius prodens haec: „Ja wahrhaftig der Antonius hat gar viele Dinge *den Tag zuvor*, *ehe* du ihn verließest, verübt."

Pridie igitur h. l. longius tempus significat quam praecedentem diem; cuius rei quamvis unum tantum documentum idque ex Digestis repetitum proferat Forcellinus, tamen illud accipio, quum Velleio Latinitatis paullo latiores fines concedendas ducam.

Dico autem haec Martiani Dig. lib. 40. tit. 5 leg. 10 extr.: „Qui pridie quam ex testamento ad libertatem perveniret, idem fieri passus est i. e. — ut Forcellini verbis utar — antequam perveniret.

CAPUT LXII.

Vell. II, 85. 6. p. 104 ed. Orell.

„Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio uidebit è suo an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerat, qui ad eius arbitrium direxit fugam." Ed. pr. p. 48.

Ad hunc locum Burerius: „Mihi melius placet, ut legatur: *ut dubites suone an Cleopatrae arbitrio &c.*"

At exemplar Amerbach. omissa voce *officio* haec habet: *functum videbites ne an — ad eius fugam arbitrium direxit fugam.*

Jam pridem mihi displicuit illud tam abrupte novae comprehensionis ab initio positum *Dubites.* Melius certo elegantiori orationis transitui inserviret coniunctio *ut* qua cum antecedentibus iungerentur sequentia. Itaque cum Burerio scribendum coniicimus: *ut dubites.* Etenim uti h. l. ex **ui**debites **ut** dubites, ita supra ex **ui**rebatur omnium ex consensu factum est „**ut** rebatur."

Officium fugacissimi militis, eo quo Rhenanus posuit sensu dici non posse egregie monuit optime meritus codicis Amerbachiani Editor. Qui quum pro hac Rhenani interpolatione dederit *vice*, mea opinione omnino verum vidit.

Subsequentia codicum et Murb. et Amerb. ad fidem certissime corrigere licet, hoc modo:

„*ut dubites suo an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit.*“

Nimirum in eo cuius apographum erat codex Murbacensis libro legebantur haec: *utdubitesuoan.* Quae per errorem ita disiunxit librarius Murb.: *uidebites uo an.* Haec Murb. Monachi verba Rhenanus sic legit: *videbite suo*, Amerbach. vero sic: *videbites ne.* Quorum uterque falsus est eo quod literam *s* duplicare negligerent. Amerbachius vero absurdis literis *uo* sensum subministrans procreavit quod — ut videtur — nunquam a Velleio profectum est: *ne.* Etenim hic factum est id de quo supra cap. XIII a nobis expositum est.

De ultimis etiam periodi verbis:

„*qui ad eius fugam arbitrium direxit fugam*“

neque Rhenano, neque Orellio astipulor. Suadeo:

„*qui ad eius fugam arbitrium direxit suum.*“

Ita et Rhenano simul cum Amerbachio, et — quod maximum — Velleio me satisfacturum opinor. Dicit enim scriptor, dubitandum sane fuisse, an qui in rebus male gestis suum arbitrium ad Cleopatrae iudicium accommodarit, idem parta victoria suo ipsius arbitrio usus fuerit. In Orelliana lectione minus placent et duo illi genitivi *eius fugae*, et neglecta Editionis pr. auctoritas, quippe quae *suam* prodat. Quamquam non ignoro genitivos illos etiam inveniri complures praesertim Julii Caesaris in scriptis. Accedit quod Antonius *fugam suam* (si in ipsam sententiam quam fieri possit maxime intremus) Cleopatrae

ad arbitrium non *direxit*, sed *paravit.* Tum demum quum illam fugientem conspexisset, et ipse fugae se mandavit.

Hac igitur ratione locum a nobis tractatum constituendum ducimus:

> „*Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum vice; ut dubites, suo, an Cleopatrae arbitrio victoriam temperaturus fuerit, qui ad eius fugam arbitrium direxit suum.*“

CAPUT LXIII.

Vell. II, 87. 1. p. 106 ed. Orell.

„***At Cleopatra frustratis custodibus in lata aspide in morsu sane eius spiritum reddidit.*“** **Ed. pr. p. 48.**

Subtimens quidem hanc tamen lectionem in medium proferre ausim:

> „*At Cleopatra, illata aspide immorsa, sanie eius expers muliebris spiritum reddidit.*“

Verbum immordendi Statii auctoritate nititur, qui

> *immorsa*, inquit, *cadens obmutuit hasta.*

Neque contemnenda haec Propertii (l. 5 et 6 v. 21):

> „*Immorso aequalis videant mea vulnera collo.*“

Quamquam hoc quoque loco alii legunt: „*in morso.*“ *Sanies*, quamvis eo quo volumus sensu poetis tantum (quod sciam) usitatum, tamen

— id quod Ruhnkenii pace dixerim — neque a Velleiano scribendi genere abhorret. Oratio Velleiana non raro poetica est. A vocum, quam Acidalius primus fieri iussit, traiectione utpote violentiori, averso sumus animo. Ceterum Forcellinus legit: *immorsu eius s. r.* Quae quum proposuerim, nihil tamen mirarer, si quem Labbeus et Merula vidisse dicuntur codicem, eum eandem cum ed. pr. lectionem praebere inveniremus. Namque si verbum *sane* ad totam periodi sententiam trahamus haud ita molestum fore videtur.

At ne quid reliqui faciam, etiam versionem lectionis meae adiicere iuvat: Kleopatra aber setzte sich — indem sie ihre Wächter zu täuschen wuſste — eine Natter an, und starb, gebissen, von ihrem Gifte.“ Quod Goettii cummaxime caussa ascripsi, interpretati: „Der Kleopatra gelang es, *sich* eine Natter *bringen zu lassen*“; quod esset *allata,* non *illata aspide.*

CAPUT LXIV.

Vell. II, 88. 2. p. 107 ed. Orell.

„*Quippe vixit angusti clavi pene contentus.*“ Ed. pr. p. 49.

Genitivum angusti clavi ab omnibus fere impugnatum ego non is sum qui solus tueri coner. Ergo nihil moror, si forte expellendus sit; sin minus, fortasse fefellit librarium signum *ppa* i. e. *purpura.*

Itaque fortasse assequimur Velleii manum legendo:

„*quippe vixit angusti clavi purpura contentus.*“

Similiter Ovidius: Induitur humeros cum lato purpura clavo.

Quae quomodocunque sese habent, illud inter omnes, opinor, constat adverbium *pene* hic plane absonum esse et absurdum.

CAPUT LXV.

Vell. II, 89. 5.

„*Consulatus tantummodo usque ad undecimum quem continuaret Caesar impetrare potuit.*“ Ed. pr. p. 49.

Scribendum: Consulatus tantummodo usque ad undecimum quem continuaret Caesar impetrari potuit. Quae ad verbum sic opinor explicarent Grammatici (cave putes me haec pro Latinis vendere) Consulatus (singulari numero) nonnisi usque ad XImum ut eum continuaret (i. e. *deinceps* ut gereret) impetrari potuit; undecies tantum ut sine ulla intermissione deinceps fasces acciperet, commoveri potuit. Est haec figura Graecis praecipue usitata. Ita Demosth. *οὗτοι ἐπιδειχθήσονται οἷοί εἰσιν ἄνθρωποι.* — Quam in rem Matthiæus gr. Gr. conferri iubet Ciceronem 20 §. 68. fin. 4, 6. 14. — Et conferantur ipsius Velléii illa: „qui protinus quantus est sperari potuerat. L. II. c. 94. §. 2.

CAPUT LXVI.

Vell. II, 90. 1. p. 108. ed. Orell.

„*Sepultis bellis civilibus coalescentibusque reip. membris et coram aliero quae tam longa armorum series laceraverat.*“ Ed. pr. p. 49.

Nihil attinet, repetere quae ad hunc locum restituendum tentarint Interpretes; quorum qui verba *coram aliero* pro corrupto glossemate habent, omnium longissime videntur a vero aberrasse. Sed in hac desperantium Criticorum corona Orellium quoque conspicimus. Is enim Sauppio V. D. obsequutus ingenue fatetur: „Melior ut loci medicina reperiatur ex animo opto.“ Quod Helvetii clarissimi optatum fortasse expleri posse magnopere laetamur.

Neque enim dubitamus, pro certa loci correctione habere haec:

„*coalescentibusque reip. membris cura meliore*“

Quae emendatio partim Heinsio, coniicienti „et eo *cura* maiore,“ partim Herelio proponenti „iunctura *meliore*“ originem debet suam.

Deinde vocabulum *et* nisi malis mecum in *eius* mutare, substantivum aliquod praegressum statues. Quare fortasse Velleii est hoc: „c. r. p. *medicina* et cura meliore.“ Voculam *eius* c. m. tueor illo statim praecedente: „Nos memores professionis uni-

versam imaginem principatus *eius* oculis animisque subiecimus."

Restat ut sententiam a nobis ut videtur erutam explicemus et si qua opus est pro viribus confirmemus. Quod quum h. l. Velleius membra attribuat reip., eamque ut personam inducat, membris eius laceratis proprie adhibetur cura illa quasi medica; idque eo melius quod v. illud *cura* etiam de rerum publicarum procuratione usitatum sit et receptum. Exemplo sint Velleii illa: Mox quum omnem curam fata vincerent; quibuscum comparetur Sallustius, qui „Magistratus, inquit, et imperia postremo omnis cura rerum publicarum. Et inspiciat qui volet lexica, quae etiam verbi *coalescentibus* exemplum praebent ex Plinio desumptum:

„*Cilium vulnere aliquo diductum non coalescit.*"

CAPUT LXVII.

Vell. II, 90. 2.

„*Ut — saepe contumelia etiam nonnumquam periculum Romano inferretur imperio.*" Ed. pr. p. 49.

Non erat quod hoc quoque loco Ruhnkenio assentiretur Krausius quum facillima in promtu esset medela. Diremtis enim vocabuli *etiam* syllabis ecce! omnia quadrant. Lego igitur:

„*Saepe contumelia, et iam nonnumquam periculum Romano inferretur imperio.*"

Et comparetur Cicero in Orat. c. ult. „Eiusmodi infantia ut qui ea utantur non stulti homines haberi possint; *et iam plerumque* infantes." Eodem pertinet quod vulgo pleonasmi instar habetur vocabulum *quoque* additum vocibus *et iam.* Cuius rei exemplorum affatim praebet Forcellinus.

CAPUT LXVIII.

Vell. II, 91. 1. p. 110 ed. Orell.

„*Quod cognomen illi viro Planci sententia consensus senatus populique Rho. indidit.*" Ed. pr. p. 50.

Nusquam locorum virum denominavit Velleius Divum Augustum id quod plane abhorreret ab adulatorio Velleii ingenio; quare, Ruhnkenii auctoritate motus, scribendum suspicor:

„*Quod cognomen illius virtuti indidit.*"

Compares quae ad caput I, 11. a nobis dicta sunt, et consulas tabellam.

CAPUT LXIX.

Vell. II, 92. 2. p. 111 ed. Orell.

„*Cos. quum alia prisca severitate summaque constantia, vetere consulum more [ac severitate] gessisset.*" Ed. pr. p. 50.

Accidit h. l., quod saepius, ut librarius similitudine vocum falsus quod iam semel paulloque ante chartis ille-

verat vocabulum, idem postea repeteret. Sed scribendum erat:

„*vetere consulum more ac sanctitate gessisset.*“

Vocab. *scitate* confusum est cum v. *severitate.* De sanctitate autem conferas lib. II c. 29. Deinde vocabulum *vetere* equidem hic per hypallagen epithetôn, qualis est l. II, 116. 4. positum existimo, eoque minus mutandum, quod hic ipse, quem versamus, liber Vinicio consuli gratulandi caussa missus, minime recentium consulum quantulamcunque detrectationem continere poterat. — Talis autem detrectatio in loco hocce inesset, si *veterum* tantum consulum severitatem laudasset Velleius.

Nunc autem severitatem inde antiquitus insitam consulibus Vinicii ambitioni blandiens commemorat scriptor.

CAPUT LXX.

Vell. II, 52. 5. p. 76. ed. Orell.

„*Proh dii immortales quod huius voluntatis erga Brutum suae post eam vir tam mitis pretium tulit!*“ Ed. pr. p. 35.

Orellius „Rursus, inquit, nescimus, utrum Amerbachius casu omiserit *suae*, an Rhenanus inculcarit. Sane neque necessarium est et loco minus opportuno positum.“ Atqui propter id ipsum, quoniam ineptius hic positum est, a Rhenano non videtur

intrusum esse. Neque tamen intactum derelinquere in animo est. Cogites modo de sensu loci. Num fieri potuit, ut solius Bruti hic mentio iniiceretur, quum Bruti nomen in praecedentibus neque legatur, neque mea quidem opinione legi possit?

Quibus de caussis legendum coniicimus:

„*Proh dii immortales, quod huius voluntatis erga* **Brutianos** *postea vir tam mitis pretium tulit!*“

Litera *s*, residua ex vocabulo *Brutianos*, vetustate paene deleto, et voculae *suae* coniiciendae ansam dedit et ab Amerbacchio videtur omissa esse.

CAPUT LXXI.

Vell. II, 96. p. 113. ed. Orell.

„*Gentes Pannoniorum Delmatarumque nationes.*“ Ed. pr. p. 52.

Mea quidem opinione nimium quantum languent quae h. l. composita videmus vocabula duo: *Gentes* et *nationes*. Quid si scriberemus:

„*Gentis Pa. Dque nationes.*“

Ita infra capite XCVIII omnes Thraciae gentis nationes memorantur. Sic optime eo quem tractamus loco Velleius sibi singulas quas viderit totius et Pannonicae et Delmaticae gentis nationes in animum revocaret.

CAPUT LXXII.

Vell. II, 99. p. 115. ed. R.

„Tib. Nero — mira — pietate, cuius caussae mox detectae sunt, cum C. Caesar sumpsisset iam virilem togam, L. item maturus esset viris, ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis." Ed. pr. p. 53.

Quamvis emendandi potius quam interpretandi Velleii munus in me susceperim, tamen quum in edenda hac periodo a quibusdam eorum, qui ante me haec verba typis mandarunt, discedendum ducam, profitear necesse erit, quemnam sensum inesse putem in verbis *cuius caussae mox detectae sunt,* mea sententia uncis non includendis. Quippe haec ipsa verba claram lucem afferunt iis quae sequuntur *dissimulata causa consilii sui.* Quum domum derelinqueret Tiberius, nemini notum erat, quamobrem proficisceretur; postea autem (mox cum C. Caesar sumpsisset iam virilem togam) amicorum (adulatorumque — ut ipsum Velleium notemus) cura factum est, ut sermo esset in urbe, Tiberium sola et humanitate et benignitate erga Caium et Lucium Caesares permotum voluntarium in exilium migrasse.

Restat ut ineptissimo isti vocabulo *viris* ut facilem, ita certam medelam adhibeamus. Disiunctis enim duabus vocis partibus omnia plana sunt atque clara. Immani periodi circuitu veri simillimum fit, praemissis omnibus illis, quae in laudem Tiberii

iactata sunt, denuo ad ipsum Tiberii Neronis nomen, quod primo ab initio positum erat, quasi reverti scripsorem. Quamobrem ita hunc locum in publicum emittendum putavi:

„*Brevi interiecto spatio T. Nero duobus consulatibus totidemque triumphis actis tribunitiae potestatis consortione aequatus Augusto, civium post unum, et hoc, quia volebat, eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, et vere alterum reip. lumen et caput, mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate, cuius caussae mox detectae sunt, cum C. Caesar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset vir:* **is**, *ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis, dissimulata causa consilii sui, commeatum ab socero atque eodem vitrico acquiescendi a continuatione laborum petiit,*“

Apodosis incipit a verbis: *is, ne fulgor suus.* Tiberii sub secessum Caius quindecim annos, duodecim Lucius natus fuisse traditur. Postquam triennio post fratrem Lucius quoque virilem togam sumpserat (*cum maturus esset vir*), Tiberianae magnanimitatis rumor Romam perferebatur.

Magnanimitatis, inquam, ut cum Velleio loquar, aliter nimirum Suetonio auctore dicturus essem. Qui (Tib. 11) „Transacto autem, inquit, tribunitiae potestatis tempore confessus tandem, nihil aliud secessu devitavisse se, quam aemulationis cum Caio Lucioque suspicionem, petiit ut sibi — permitteretur, re-

visere necessitudines.“ Neque negligas de tota hac re relegere Suet. Tib. c. X. — Velleio censente: *orientium iuvenum* initiis obstare noluerat Tiberius, *viris* sese non amplius nociturum esse arbitrabatur.

CAPUT LXXIII.

Vell. II, 99. p. 115 ed. Orell.

„*Illud — dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes, qui pro.*“ Ed. pr. p. 53.

Primum iusto fidentius novissimi Velleii Editores, Grunerus cum Krausio, intacta reliquerunt illa *ita — moratum*, quamquam mea quidem sententia omnino necesse est, accusativus addatur infinitivo *moratum* (*esse*). Quare scribendum, ni fallor, erit: *ita septem eum annos R. m.*; id quod factum est similitudine syllabarum *em* et *eum*.

Sequentia ista: *visendi eius gratia ad quem convenientes*, nonnisi lacunae si qua est praesidio tuta erunt, ut fortasse scribatur:

> „*Ut omnes, qui — visendi — eius gratia deverterint, abditum convenientes semper*“ et q. s.

Utor enim Suetonii verbis: „Enimvero tunc non privatum modo sed etiam obnoxium et trepidum egit, *mediterraneis terris abditus* vitansque praeternavigantium officia, quibus frequentabatur assidue, ne-

mine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin *deverteret* Rhodum."

Adiumento sint haec Freundii ex lexico desumpta: *Abdere se* tropisch beim Cic. häufig vom Flüchten aus dem Strudel der Geschäfte in den Zustand der Musse: Fam. 7, 33; Arch. 6, 12; Fam. 7, 28. *Abdidit sese in intimam Macedoniam* Fam. 13, 29.

CAPUT LXXIV.

Vell. II, 103. p. 119 ed. Orell.

„*Vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus nedum hic implere tentemus: id unum dixisse quam ille omnibus fuerit. Tum refulsit.*" Ed. pr. p. 55.

Ruhnkenius tres paginas dimidiatas implendo eo pervenit, uta voce *tentemus* in *contenti simus* commutata incipiens hanc *proponat* coniecturam: Contenti simus id unum dixisse, quam in illo omnia omnibus fuerit. Quae coniectura (pace summi viri dixerim) desperantis critici est non alacris. Sed ne multa: equidem haec propono, quae faciliora sint necne iudicet qui volet:

> „*Vix in ullo opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere tentemus. Id unum dixisse sat est, quam ille omnibus fuerit carus (dilectus). Tum refulsit.* —

Quod primum inseruimus *sat est* facile excidere poterat propter similitudinem literarum et propter

compendia *s' e'*, confusa illa cum fine praecedentis v. *dixisse*. Adiectivum *carus* intercidisse putantes quamvis inviti adversamur Ruhnkenio, Orellio, aliis.

Verba „*nedum hinc implere tentemus*“ Ruhnkenius in *hic*, nos in *hoc* corrigenda censemus. Opponit enim Velleius iustum illud, quod iam saepe dixit, opus huic, quod tractat, suo, et facilius multo ex v. *hinc* litera *n* suprascripta oriri poterat *hoc*, quam ex *hic*; *hinc* enim rarissime fieri quicquam de suo addit librarius.

Quae postquam scripta erant denuo, dubius incertusque haerebam, praeferremne quod iam olim apud animum meum scribere constitueram: *qualis ille omnibus fuerit*. Fortasse iuvante Fortuna invenietur Censor aliquis humanissimus, qui me contra memet ipsum defendat. Loquutio *sat est* infra ab ipso Velleio ponitur.

CAPUT LXXV.

Vell. II, 104. p. 120 ed. Orell.

„*Per annos continuos VIIII praefectus aut legatus spectatus pro captu mediocritatis meae adiutor fui.*“ Ed. pr. p. 55.

Equidem hunc locum salvum esse putarim, retinens illud *spectatus*. Apposite enim infra Velleius:

„*Habuit*, inquit, *in hoc quoque bello mediocritas nostra speciosi ministri locum.* Haec et alia videre licet apud Paterculum, duce indice Krausiano, s. v. *Ministerii.*

Neque tamen praetermittendum est, in cod. Amerb. non *spectatus* exstare, sed *spectatum.*

CAPUT LXXVI

Vell. II, 105. 1. p. 121 ed. Orell.

„*Cum omnem partem asperrimi et periculosissimi belli Caesar vindicaret, in iis quae minoris erant discriminis.*“ Ed. pr. p 56.

Quamvis minime negarim, verbum illud *vindicaret* dativo qui addi solet carere posse, tamen absona quae sequitur, praepos. *in* ultro nobis dativum *sibi* offerre videtur. Legamus igitur: *cum omnem partem asperrimi et p. b. Caesar vindicaret sibi; iis quae.* Neque obiiciat mihi quisquam inusitatam vocis *sibi* positionem. Haec ipsa est quae mihi quidem h. l. perplacet. Illa enim optime extollit Caesaris laudes, quum illius maxime in bello gerendo merita et labores praedicet.

CAPUT LXXVII.

Vell. II, 106. 1. p. 122. ed. Orell.

„Omnis eorum iuventus — septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine.“ Ed. pr. p. 56.

Omnino scribendum est:

> *„septa fulgenti armat**orum** militum nostrorum agmine,“*

recteque quamvis ab iis quae vulgo feruntur textus verbis aberrans vertit Göttius V. D.:

> *„Eingeschlossen von der blitzenden Schaar unserer bewaffneten Krieger.“*

Frigidissime enim h. l. describeretur armatum fuisse agmen. Confusioni originem dedit signum syllabae, quae verbum terminat, *orum*. Quod signum facillime abire poterat in lit. q = *que*. — Et conferas illa „et ulterior armata hostium iuventute fulgeret.“ Nam hic quoque fulgor armorum significatur.

CAPUT LXXVIII.

Vell. II, 107. 1. p. 122 ed. Orell.

„Sub omnem motumque nostrarum navium protinus refugientium.“ Ed. pr. p. 56.

Pervolutantibus nobis egregium, quem saepe iam collaudavimus, Waltheri librum ecce! insperato felicius obviam factum est compendium $\overline{om}$ significans *ob-*

iectum non absimili forma notae o^m, quae valet *omnem*. Iam igitur non opus est lacunam sumere; omnia plana sunt et perspecta. Quod enim et mihi primo relictum erat dubitationis, discussit et expedivit Forcellinus. Qui inter alia multa: *obiectus* est, inquit, quod visui obiicitur, oggetto. Nep. in Annib. c. 5.: Sarmenta — immisit. Quo repentino *obiectu* viso tantum terrorem iniecit exercitui Rom., ut etc.“ Nos autem verba illa „sub omnem — refugientium hunc in modum vernacule reddimus: Beim Erscheinen und Fortrücken unsrer Schiffe.“

CAPUT LXXIX.

Vell. II, 107. 2. p. 122 ed. Orell.

„*Tum appulso lintre et diu tacitus contemplatus Caesarem Nostra quidem, inquit*, —“ Ed. pr. p. 57.

Fortasse ita constituemus est:

> „*Tum appulso lintre is, diu tacitus contemplatus Caesarem, Nostra quidem, inquit, furit inventus rell.*“

Ita nos corrigimus Copula *et* istud ab Ruhnkenio eiecta est. Simili ratione, si quid video, supra Velleius pronomine *is* utitur.

CAPUT LXXX.

Vell. II, 109. 1. p. 123 ed. Orell.

Burerius, Exemplar, inquit, vetustum sic habet, ut potius legendum existimem Corpus suum custoditum imperium perpetuis. contra pr. Ed. p. 57 exhibet Corpus suum custodia tum imperium etc.

Iamiam in eo erat, ut missis aliorum VV. DD. tentaminibus ipse solus ad ingenium qualecunque meum exercendum accingerer: quum hac in re egregie etiam adiuvarer a Sauppio, coniiciente: *Custodia tuitus.* Quum autem inter omnes constet, similitudinem vocabulorum maxime ex caussis esse, quibus fallantur librarii, haec, opinor, coniectura loci nostri rationibus satis conveniet:

> „*Corpus suum custodia tuitus exercitum imperitum perpetuis exercitiis ad Romanae disciplinae formam redactum*" cett. I.

Nemini non apparebit, verba illa *perpet. ex ad R. disc. f. r.* ad *exercitum* spectare Marobodui, qui Romana disciplina Romanos superare decreverat. Quamobrem quod finiti illi syllabae *tum* praeposuimus *exercitum*, non est quod pluribus firmemus. Sauppii *tuitus* et illo ipso et Orellio testante ex illo *tum* effici debet. Verum desideratur ita *exercitus* Marcomannici mentio. Quare equidem eum tantum in finem grato animo quod Sauppius obtulit accipio, ut lacunam quam ante v. *tum* esse persuasum habeo,

quam fieri possit aptissime explere liceat. Intelliges enim verbum *tuitus* facile propter vicinarum vocum similitudinem excidere potuisse.

Levissimam vocis *imperium* littera *t* addita correctionem qui impugnet, invenietur nemo, neque quisquam, opinor, negabit, contortius esse Ruhnkenianum illud:

Imperium perpetuis exercitiis exercitu pene — redacto.

Vcabulum *exercitu*, si quid video, statim post v. *imperium* ponatur nisi necesse sit, at certe elegantiae conveniret. In ipso codice Murb. exstitisse confido: *custoditum*. In antiquioribus autem codd. scripta fuerant haec: *custodiatuitx̃citum*. Quam hic verbo xcitum superimposui lineolam circumflexam, sumpsi pro illo literarum *er* signo, quod videsis ap. Mannert. l. l. Manifestum igitur est, librarium, equidem si vera viderim, similitudine illius quam ter repetitam putarit syllabae *tui* (tuitxcitum) inductum quae in medio erant, omisisse.

CAPUT LXXXI.

Vell. II, 112. 4. p. 128 ed. Orell.

„*Quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus.*“ Ed. pr. p. 59.

Ruhnkenius, licet etiam suam quandam coniecturam commemoret, tamen pro ea qua est candida integritate aliud censet remedium exspectandum

esse. Quod diiudices, quaeso, an nos invenerimus, si scribendum proponamus:

> *Quanto cum temperamento simul utilitatis reip. res et auctoritatis imperatoris agi vidimus?*

Sensus est: Tiberius tamenetsi in rebus gerendis nihil discesserit a dignitate Imperatoris nihil de auctoritate sua deminui passus, tamen neque temeritati umquam locum esse putavit. Neque enim umquam reip. utilitatem commodumque e conspectu amisit; haec quidem ei semper curae erant.

Vocab. *res* ab eo quod ab illo haud longe distaret v. *reip.* absorptum esse concedes, neque de vocabulum quam dedimus positione utpote plane Velleiana scrupulus ullus, credo, residebit.

CAPUT LXXXII.

Vell. II, 112. p. 127 ed. Orell.

„Ita placebat barbaris numerus suus ita fiducia virium, ut ubicunque Caesar esset, nihil in ss reponerent." Ed. pr. p. 59.

Demiror, praeter Orellium V. Cl. neminem quicquam h. l. desiderasse, quum verba *„ita placebat fiducia virium"* coniungi plane nequeant. Luce clarius est, verbis *fiducia virium* addendum esse verbum aliquod. Quamobrem haec fidenter in textum putamus recipienda esse:

> „*Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium tuti erant, ut, ubicunque Caesar esset nihil in se reponerent.*“

Neque magnopere invehamini, quaeso, in librarium, h. l. propemodum excusabili errore lapsum. Quid enim ad confundendum facilius verbis hisce: ita fiducia viritutieaūtutubicunque? — Verba *tuti erant* omissa facile condonabimus dormitanti monacho. Ita expletur sententia, cui sarcasmum inesse, quicquid dicat Ruhnkenius, rectissime coniecit Burmannus. Mihi enim nihil acerbius, nihil magis ironice dici potuisse videtur, quam barbaros ita, i. e. tantopere numero suo confisos esse, ut — — quum primum Caesaris in conspectum venerint, signa dereliquerint.

Quam sententiam equidem hunc in modum vernacule reddiderim:

> „*So sehr gefiel ihnen ihre Masse, ihre Mehrzahl, so sicher waren sie im Vertrauen auf ihre Kräfte, daſs sie — überall, wo Caesar erschien, auf sich selbst gar nichts mehr gaben.*“

Nolim equidem ἀντίθεσιν quamvis Velleianam tanto quanto Orellius censet, pretio emere, quippe qui post v. *esset* inserat: *in eo omnia, ubi esset.*

CAPUT LXXXIII.

Vell. II. 112. p. 128 ed. Orell.

„*Neque ut facientibus copiam pugnandi ausa congredi.*" Ed. pr. p. 59.

Verbum congrediendi cum dativo quoque construi quum ostendat Forcellinus, Freundius, alii, scribendum esse coniicimus:

> „*Pars exercitus eorum, opposita ipsi duci, et ad arbitrium utilitatemque nostram macerata, perductaque ad exitiabilem famem, neque instantem sustinere, neque* **nobis** *facientibus copiam pugnandi dirigentibusque aciem ausa congredi.*" cett.

Instantem i. e. astantem Tiberium. Aegre enim desideraremus vv. *nos* et *nobis*, si cum aliis VV. DD. legeremus: *instantes* et **cum** *facientibus*.

CAPUT LXXXIV.

Vell. II, 112. 5. p. 128 ed. Orell.

„*Qui multum a more imperatoris sui crepantes.*" Ed. pr. p. 59.

Isaaci Pontani emendationem: *discrepantes* quamvis suo omnibus iure laudatam, tamen et ipsam parvula quadam emendatione egere putarim. Abundat

enim aut saltem minus necessarium est additum illud *sui*, neque haud ita a vero aberrabimus, si sub illo ipso syllabam, quae verbo sequenti deest, *dis* latere statuamus. Fac scriptum fuisse *di*^{s}: ex quo praeposita quae fini ascribi debebat litera *s* librarius istud quod notavimus *sui* effecisse videtur.

CAPUT LXXXV.

Vell. II, 117. 1. p. 133 ed. Orell.

„*Cum intra quinque consummati tanti operis dies funestae ex Germania epistulae caesi Vari trucidatarumque legionum trium totidemque alarum et sex cohortium — velut in hoc saltem tantummodo nobis indulgente fortuna ne occupato ducendet causa persolanaoram exigit.*" Ed. pr. p. 62.

Est hic ex locis difficillimis, cui nos utinam favente Minerva! — facem criticam admoturi sumus. Illud vero primum concedas necesse est, eam quae vulgo feratur loci scripturam et audaciorem esse et ipsam quoque nonnisi lacuna sumpta intelligi posse. Sed accipe quae nobis non invidisse videtur Fortuna:

> *velut in hoc* ***saltu*** *tantummodo nobis indulgente Fortuna.* ***A me licet*** *occupato — du****cis*** ***et*** *causa* ***et*** *persona moram exigit.*

Tangitur h. l. illud quod supra cap. 105 legitur: *nostra clade nobilis transitus Visurgis;* quamquam illic vocabulum *nostra* in universum ad

Romanos spectat, hoc autem capite CXVII vocula *nobis* alii oppositioni exprimendae inservit.

Varianae cladis regionem quod *saltum* nominavit Velleius nihil melius nihil magis proprie dicere potuit. Et nihil est quod alii intrudere voluerunt *salutem*.

Turbatam verborum *tantum nobis* positionem correximus. Sed restat ut de verbis *Ne occupato duce* cett. pugnam ingrediamur cum iis qui Vossio duce locum nostrum hunc in modum complendum ducunt:

ne occupato duce in debellandis Pannoniis victores Germani iis se coniungerent;"

conferendum enim Suetonium Tib. 17. — Quae deinde sequantur ita corrigenda esse: *Sed causa et persona moram exigit.* Vides quam manca et adeoque mutilissima sint haec VV. DD. tentamina. Etenim ne apparet quidem, cuiusnam causa et persona dicatur. —

Comparatis vocum *Fortuna* et *a me* formis colliges qua ratione quae nos inseruimus verba librarii incuria interciderint, quippe qui vocum similitudine deceptus putarit se iam usque ad vv. *a me* scribendo processisse, quum nihil adhuc nisi *Fortunā* literis consignasset. Voc. *ne* ortum est ex signo *lz* = licet: vid. tab.

Sententiam tuemur iis quos et Krausius, vir, ut iterum dicam, diligentissimus et hac ex re probissime interpretis vices sustentans, dummodo saepius suo ipsius arbitrio usus plura nova attulisset — iis inquam locis quos Krausius quoque comparandos

esse monuerat. Dico quae supra leguntur: Nulla festinatio huius viri mentionem transgredi debet; et al. loco: — Consulatus Caesaris, qui scribenti manum iniicit et quamlibet festinantem in se morari cogit. — Dux autem qui h. l. dicitur Varus est, non Tiberius; id quod etiam toto insequentis narrationis tenore veri simillimum redditur.

Verbum indulgendi neutrali sensu positum quamvis non habeam quod exemplo aliquo ex ipso Velleio desumpto confirmem, tamen lexicographorum auctoritate nititur. De sententia autem compares quae infra leguntur: „*Quis non miretur Fortunae indulgentiam?*"

Huius commentatiunculae in fine ostendo, satis facile post v. *epistolae* excidere potuisse vocem *allatae* (*allāe*), nimirum ob literarum similitudinem. Quamobrem sic hunc locum constituendum coniicimus:

„*Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ad Delmatico bello Caesar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies funestae ex Germania epistulae allatae caesi Vari trucidatarumque legionum trium totidemque alarum et sex cohortium, velut in hoc saltu tantummodo nobis indulgente Fortuna, a me licet occupato ducis et causa et persona moram exigit.*"

CAPUT LXXXVI.

Vell. II, 117. p. 134 ed. Orell.

„*Agendoque pro tribunali ordine trahebat aestiva.*“ Ed. pr. p. 62.

Quum *agere pro tribunali* solemnis sit formula, quumque verbo *trahebat* optime adderetur adverbium: rectissime mihi Ruhnkenius vocem *ordine* in suspicionem vocasse videtur. Quare assequemur fortasse Velleii manum legendo: *torpedine trahebat aestiva.* Voce *ordine* toties obvia eam quam invenimus vocem *torp.* utpote inusitatam loco motam putamus. Attendendum praeterea est, consequenti in capite *segnitiam*, et paullo post *marcorem* eiusdem Varronis denotari. — Quam coniecturam ut in medium proferrem, adductus sum his Krausii: „*Agere pro tribunali* sollemnis formula pro barbaro agere in tribunali. v. Cic. ad Div. III, 8, 2 et 6. ubi vid. I. F. Gronov. Plin. Ep. II, 10. Suet. Vitell. 9 dixit pro tribunali iura reddere, quod hic locus explicat.“ Unde quum efficiatur, verbum *ordine* sollemni illi *pro tribunali agere* adverbii loco annecti non posse — id quod etiam per verborum positionem fieri plane nequit — apparet, illud si revera Velleianum esset, ad verbum *trahebat* referri debere. Quod vides quam ἄκυρον sit. Eumne ordine traxisse aestiva? Immo torpedine, segnitia, marcore; nisi forte malis:

sive: ***socordia*** *trahebat aestiva.*
sive: ***torpore*** „ „

Ceterum Rhenanus haud scio an non verba „agendoque pro tribunali ordine" incisis includens vocem *tribunali* per errorem pro vero adiectivo ad v. *ordine* traxerit.

CAPUT LXXXVII.

Vell. II, 118. 3. p. 135 ed. Orell.

„*Primo igitur paucos mox pluris in societate consili præcepit.*" Ed. pr. p. 63.

Parum accurate interpretes ex ea, quae ab editione principe praebetur scriptura *consili precepit* formarunt *consili recepit,* quum, ne quid depereat, scribendum videatur: *consiliorum recepit.* Notum est enim, syllabam *orum* in fine verborum signo non absimili forma literae *p* consignari. Quamquam non negandum, praepositionem *prae* fere sola litera *p* exprimi solere, ut *p* cum sola litera *r* confusum putari possit. In sequentibus autem saepe obvium est *consilia;* unde hoc quoque loco numerus pluralis usurpatus erit.

CAPUT LXXXVIII.

Vell. II, 118. 4. p. 135 ed. Orell.

„Quippe ita se res habet, ut plerumque qui fortunam mutaturus deus consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut“ Ed. pr. p. 63.

Nescio an mecum legas:

„Ut plerumque **cui** *fortunam mutaturus sit Deus,* **eius** *consilia corrumpat.“*

Voc. *cui* non raro pro *qui* positum h. l. nullius, opinor, in offensionem incurret. Reliqua verba vicinorum vocabulorum similitudine absorpta putamus. Qui cum Ruhnkenio pronomen, quod in codice erat, *qui* inducunt, duriusculam efficiunt orationem, qui mea ex opinione retinent, mecum personam cuius et fortuna et consilia immutentur, pronomine illo significari statuent.

CAPUT LXXXIX.

Vell. II, 119. 2. p. 136 ed. Orell.

„cum ne pugnandi quidem egrediē aut occasionis in quantum voluerant data esset immunis.“ Ed. pr. p. 63.

Quamvis dubitantis adhuc sit incertique animi plures eiusdem loci proponere lectiones, quarum utramlibet accipiat spernatve lector: nolo tamen quam hac certe in re nondum adeptus sum animi tranquilli-

tatem prae me ferre. Itaque ne frontem, quaeso, contrahatis, Censores, si qui eritis, humanissimi, quattuor simul coniecturas examini vestro a me subiectas conspicati. Sunt autem hae:

1. *cum ne pugnandi quidem egregie tantum occasionis iis quantum voluerant data esset impunitis, castigatis et q.;*
2. *cum ne pugnando quidem egrediendi e vita occasio iis in quantum voluerant data esset immunis;*
3. *cum ne pugna quidem recedendi aut occasio iis in quantum voluerant data esset immunis, castigatis etiam quibusdam gravi poena quia Romanis et armis et animis usi fuissent;*
4. *cum ne pugnando quidem egrediendi e vallo occasio iis, in quantum voluerant, data esset impunitis, castigatis etiam quibusdam*" et q. s.

Quorum tentaminum quartum tantum ut neque nimii simus neque quae nobis ipsis quodammodo non satisfaciunt lectoribus proponamus, paucis confirmare attinet.

Primum de sententia si quaeris haec habeo quae proferam. Tradit Velleius eum ducis marcorem fuisse, ut ne pugna quidem salutem petere, valloque quo eos Vari iussu circummunitos fuisse constat, excedere licuerit militibus. Rem plane desperatam expediri omnino noluit ducis desidia, utpote quaque ex pugna cladem novam exorturam trementis.

Orellio teste in cod. Amerb. legitur „*egredie* sine lineola, superscripto *d* litterae *g*“ hunc, ni fallor, in modum: $\mathit{e\overset{d}{g}redie}$. Quodsi statuamus, lineolam, literae *e* ei, quod in Ed. pr. est, *egrediē* superscriptam, ἀβλεψίᾳ omissam esse ab Amerbacchio, literam vero *d* alio atque ad quem pertinuerit loco positam esse a scriba Murbacensi nanciscimur haec: $\mathit{egredi\bar{e}}^{d}$ = *egrediendi.* Sub verbo *aut* latere coniicimus: *e vallo*; deletis nimirum literis *e v* et *lo*, quae restiterunt *al* cum nota *at* (= aut) confusae literae duae esse possunt. Fortasse et *ual* remanserat in codice Murbaci descripto, quod pro *aut* perperam legerit monachus.

Quae pro absurdo isto *impunitis* posuimus *aut impunitatis*, quamvis haud prorsus, at certe quodammodo Burerii auctoritate defendere nobis posse videmur. Quum enim dicat, sese ex vestigiis veteris codicis legendum *coniecisse* pro immunis *inimicis*: apparet, primum ipsius candidissimi viri verba nullo modo cogere, ut omnino nihil aliud nisi ipsum vocabulum *inimicis* legamus, deinde vocabulo *immunis* tantum detrahi auctoritatis, ut nihil fortasse desimus fidei diplomaticae, si recipientes vocabulum *impunitis* literam *u*, quae est in vocabulo *immunis*, suo loco relinquamus. Constat denique, vocabulum *impunitis* propius accedere ad formam voc. *inimicis*, praesertim propter iteratam lit. *i*; facillime igitur illud quod saepe iam diximus vocabulum *impunitis* ita obliterari poterat ut et *immunis*, et *inimicis* legere sibi videretur qui codicem propius inspiceret.

CAPUT XC.

Vell. II, 120. 1. p. 137 ed. Orell.

„*Praesidia munit, se magnitudine sua non fiducia hostium metiens.*“ Ed. pr. p. 63.

Burerius quem morem in annotationibus scribendis sequutus sit adhuc parum perspectum est et explicatum. Alii enim, quos nominat Krausius, ei satis iniuste omnem propemodum fidem detrahere conantur, alii Ruhnkenio praeeunte falsi sunt et decepti ipsius Burerii quantacunque diligentia.

Qui quum sese „non modo versum versui, sed „etiam syllabam syllabae et (quod alicui plus quam „curiosum ac pene stultum videri queat) etiam literam „literae contulisse“ praedicarit, hoc suum promissum diligentissime exsolvit. Quin adeo tanta cum cura rem gessit suam, tam anxie omnia perscrutatus est, ut eam ipsam ob caussam a multis qui id minus perceperant iniuria sit vituperatus. In excitandis enim textus quem dicunt verbis Burerius si forte id tantum agit, ut aut verborum positionem aut vocabuli alicuius quae vulgo legatur formam mutandam esse significet, singula interdum verba omittit. Neque tamen hoc ideo fecisse putandus est, quasi haec quae omisit verba etiam ipsi Velleii abiudicanda esse censeat, eaque in codice Murbacensi reperiri neget, sed quia quam accuratissime agendi studio plane captus erat et occupatus alia omnia vilipendebat, omittebatque *universa* loci ali-

cuius verba ex codice in annotationes suas transscribere. Exemplo quid velim ostendam.

Beatus Rhenanus in pagina editionis suae 29, v. 9 haec exhibuit: *neque licentia gladiorum in mediocreis saevitum;* ad haec verba Burerius: „Exemplar, inquit, vet. habet neque licentia immediocri saevitum" [26]. Apparet vocem *gladiorum* omnino retinendam esse nulloque modo pro expellenda habitam Burerio.

Eadem autem ratione — ut iam quae praemiserim omnino quo tenderint videatis — hoc quem capiti praescripsi loco iniuste egit Ruhnkenius, impugnans vocabulum *hostem,* quippe quod minime inducendum statuat Burerius. Attendas enim, quaeso, ad hanc Burerii annotatiunculam: „ *Praesidia mu-* „*nit se magnitudine sua &c.* Sic legendum videtur „quamquam ex vet. cod. nihil certi coniici queat: „*praesidia munit, et se magnitudine sua non fidu-* „*cia metiens*" Apparet propter omissum voc. *et* illa scripsisse Burerium; minimeque eum voc. *hostium* expellere conatum. Illud tantum si cui videatur concedemus, vocabulum *metiens* exceptum fortasse esse a voc. *hostium.* Scripserim igitur:

> „*Mittitur — munit; et* [27] *se magnitudine sua, non fiducia metiens hostium, qui — minabantur*"

[26]) Neque licentia gladiorum in mediocris saevitum. Docet enim Ebertus in libro cui inscribitur zur Handschriftenkunde, saepe omitti literas consimiles in fine alterius et ab initio alterius vocis positas.

[27]) Nihil video, cur recte a Rhenano exclusa sit copula. Vid. Ruhnk. ad h. l.

Quam rem certam plane et exploratam reddit codicis Amerbachiani auctoritas, illa omnia eo quem nos posuimus ordine exhibentis.

Quae autem a nobis allata sunt argumenta demonstrant, operarum quidem — id quod Orellii caussa dixerim — errorem h. l. notandum vix esse.

CAPUT XCI.

Vell. II, 120. 2. p. 137 ed. Orell.

„*Arma interfecti quae arguisse pater et patria contenti erant.*" Ed. pr. p. 63.

Non invidit nobis Fortuna aenigmatis ut ita dicam huiusce solutionem; neque enim dubitamus quin Velleii manum assequuti simus his verbis:

> „*Armis interfecti, quos arcuisse pater et patria contenti erant.*"

Dicit enim, si quid video, Velleius, occisos esse et necatos eos hostes, quorum adeo antea potentiam timuerant et Augustus et patria, ut satis superque habuerint, dummodo eos ab ipsis Romani imperii finibus arcuerint. Forma literae *a* duplici literae *c* consimilis et ipsa nonnihil emendationi quam inveni meae favere videtur. Ceterum vocabuli *armis* verbi *interfecti* vim h. l. adauget.

CAPUT XCII.

Vell. II, 121. 1. p. 139 ed. Orell.

„Qui concussis hostium viribus classicis peditumque expeditionibus cum res Galliarum maximae molis accensasque plebis Viennensium dissensiones *coertione* magis quam poena mollisset, *senatus populusque R. (postulante patre eius)* ut equum eius in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipse decreto complexus esset.“ Ed. pr. p. 64.

Fortasse legendum:

> „*Senatum populumque R. postulante patre eius, ut aequum* ***ei ius*** *in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam quod ipse decreto amplexus esset: etenim*“

Vocem *erat* in *quod* mutavi memor literam *r* in codicibus quum detracta infra versum lineola derecta scribatur, facile, praesertim addita praecedenteve litera *e*, pro lit. *q* accipi posse. Verbum autem *postulandi* etiam cum accusativo personae construi, docent Grammatici. Ceterum satis longam h. l. periodum finxit Velleius.

CAPUT XCIII.

Vell. II, 125. p. 139 ed. Orell.

„Quo quidem tempore ut pleraque ignave Germanicus ita Drusus qui a patre in id ipsum.“ Ed. pr. p. 66.

Satis clare Germanicum a Velleio vituperari non potuisse ostendit Boeclerus, Ruhnkenius, alii. Repugnant praecipue tres illi quos Ruhnkenius cognoscere iubet, Velleii loci II. 116: *Magna in bello Delmatico experimenta virtutis in multos ac difficiles locos praemissus Germanicus.* II. 129, 2: *Quibus praeceptis — magnitudine?* et paullo post: §. 3: *Quanto provincias?* Quod quamvis omnino accipiamus, nihilo tamen secius etiam a verissima — quam vocat Krausius — Ruhnkenii emendatione: *„egit nave“* recedendum ducimus. Abhorret enim animus a quovis violentiori emendandi periculo. Faciliusque ni fallor legi possit: *„ut pleraque ignovit.“* Ita Germanici lenitas mitisque utpote adolescentuli militum tractatio componitur cum prisca antiquaque Drusi severitate. Mitiorem maturitateque carentem imperatoria Germanicum significat Velleius. Ut Germanicus mitis, ita durus erat Drusus. Scribendum igitur:

> *„Quo quidem tempore ut pleraque* ***ignovit*** *Germanicus ita Drusus — prisca antiquaque severitate usus gladiis — obsidentes evercuit.“*

CAPUT XCIV.

Vell. II, 125. 4. p. 142 ed. Orell.

„Ancipitia sibi timere quam exemplo perniciosa et" Ed. pr. p. 66. Et vid. Bur. annot.

Legendum suspicor:

> *„Prisca severitate ratus ancipitia sibi timore quam extemplo perniciosiora esse his ipsis militum gladiis quibus obsessus erat obsidentes coercuit."*

Sensus, nisi fallor, hic est: Drusus talibus in rebus nihil cunctandum ratus, statim seditiosos milites aggressus compescuit. Illi enim si Imperatorem timere animadvertissent eius ex timore suam indies audaciam adaucturi fuissent.

CAPUT XCV.

Vell. II, 125. 5. p. 143 ed. Orell.

„Ad Hispanias exercitumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia praediximus cum imperio obtineret." Ed. pr. p. 66.

Ne multa, lacunam odoror, haec scribenda suspicans:

> *„Ad Hispanias exercitum quem Drusi virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia* (*devictum*) *praediximus, cum imperium obtineret — in summa pace quiete continuit."*

CAPUT XCVI.

Vell. II, 125. p. 143 ed. Orell.

„*Horum 16 annorum opera quis cum inserta oculis.*“ Ed. pr. p. 66.

Duarum mihi lectionum optionem datam video, utrum legam: *cum insidant oculis animisque omnium*, an praeferam: *cum inserta sint o. a. o.* Vestrum arbitrium valebit, censores humanissimi, modo ne negetis aliorum VV. DD. coniecturas a nostris facilitate superari. Mihi praestare videtur *cum insidant*; quum haud raro res quaepiam in memoria insidere dicatur, hoc autem loco voc. *animis* idem plane significet quod *memoria.*

CAPUT XCVII.

Vell. II, 127. p. 144 ed. Orell.

„*Ut D. Augustus M. Agrippa et maxime ab eo Statilio Tauro.*“ Ep. pr. p. 67.

Nusquam palam et aperte Agrippam Tiberii olim adversarium collaudat Velleius. Ita hoc quoque loco quum (quae nostra quidem opinio est) dicit: „*ut Augustus Agrippa, et maxime* **adeo** *Statilio*,“ huic Statilio primas defcrens secundo tantum loco ponit Agrippam. Neque vero erit qui negat, h. l. ut supra duo illa vocab. *ab eo* in unum illud *adeo* contrahenda esse.

CAPUT XCVIII.

Vell. II, 127. 2. p. 145 ed. Orell.

„*Neque in parvo paucitas ministeria defecit.*" Ed. pr. p. 67.

Dicit Velleius, magna quidem negocia non sine magnis adiutoribus geri administrarique solere, sed neque parva adiutoribus qualibuscunque carere posse. Qui sensus quo planius expediatur facillima necesse est mutatione legamus:

> „*Etenim magna negocia magnis adiutoribus egent; neque in parvis* (sc. negociis) *paucitas* (sc. negociorum) *ministeria deficit* i. e. inutiles reddit ministros."

Similiter Caesar: „*defectis*, inquit, *defensoribus* (i. e. remotis) *eum navem expugnavit.*" Ita iam nihil mutili mendosive restare opinamur.

CAPUT XCIX.

Vell. II, 128. 2, p. 146 ed. Orell.

„*Novum etiam Tusculo urbis inquilinum.*" Ed. pr. p. 67.

Displicet h. l. vocab. *Tusculo* tam absolute positum desideraturque additum verbi alicuius participium. Coniicio igitur legendum esse: *novum etiam Tusculi, urbis inquilinum*, ut demonstretur, Catonem

ne in patria quidem nobilitati annumeratum, quippe qui illic quoque nonnisi homo novus fuerit, Romae inquilinum fuisse.

CAPUT C.

Vell. II. 129. p. 147 ed. Orell.

„Simplicique virtute merentis semper quam captantis gloriam" Ed. pr. p. 68.

Parum considerate Vascosano accessit cum Ruhnkenio Krausius. Neque enim ullo modo simplicis virtutis est captare gloriam. Quod tamen dicentem faciunt Velleium qui subaudiunt vocabulum *magis* inter vocc. *semper quam.* Scribendum omnino est:

> *„Simplicique virtute merentis semper, nunquam captantis gloriam."*

V. *semper* est Graecorum *ἀεί*.

CAPUT CI.

Vell. II, 130. p. 494 ed. Orell.

„Quanta cum quiete hominum rem perpetui praecipuique timoris supplementum." Ed. pr. p. 68.

Legendum: *Quanta cum quiete omnium r. p. pque t. suppl., hinc trep. del. providet?* i. e. Supplemento providit delectu nullo instituto, s. ut vernaculo sermone quod volumus demonstremus: ohne die Angst einer Aushebung herbeizuführen.

CAPUT CII.

Vell. II, 130. p. 494 ed. Orell.

„*Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum auro deo cum.*“ Ed. pr. p. 68.

„Loci huius mendum alii aliter tollere conati sunt, sed frustra omnes. Nec quomodo emendari debeat ipse dicam.“ Haec Ruhnkenius. Mihi alius cuiusdam emendationis memori, hoc quoque loco fecisse videtur librarius quod supra capite LI libri nostri demonstratum est. Unde scribendum erit: *Si aut natura patitur hominum aut deorum cura, de his queri.* Notum est, particulam *aut* sic scribi in codd.: *au'*. Voc. *cura* minus accurate scriptum fuisse putamus ideoque confusum cum eo, quod legimus, *cum.* Verba illa „Si aut — queri“ introductioni sunt consequentibus et reprehensionibus et interrogationibus; diriguntur autem Deorum ad numina.

In sequentibus vocabulum *tam* in *tantam* commutandum esse censemus, ut scribatur: *Deinde ut Silium Pisonemque tantam alterius dignitatem constituit, auxit alterius?* Est ἀνακολουθία vel potius inversio subiectorum (ut iam Apuleii Latinitate utamur) grammaticalium. Librarius enim primo et verbum *constituit* et verbum *auxit* ad ipsa nomina relaturus, in mediam periodum vocabulo *dignitate* inserto aliorsum ut trahenda essent effecit.

Denique nihil video cur sanum illud optimeque de praesenti Tiberii sermone intelligendum vocabulum *dixit* posthabuerint illi Rhenanianae coniecturae *duxit*.

Animadversiones criticae

in

Orellianam Velleii Editionem.

Pag. 8.

I, 9. 3. *potest filium.* Equidem h. l. non tacitam Rhenani interpolationem sed Amerbachii ἀβλεψίαν notandam puto. Verba „*consulem creavit*" omitti vix possunt. Orellius: „*Senatus*, inquit, *nullae partes sunt in creando consule;*" neque igitur dici posse „Senatus populusque — creavit consulem." Atvero provoco ad ipsum Velleium, qui l. II. c. 30. 3: „Quem virum, inquit, quis non miretur — iniquo tulisse animo, *C. Caesaris in altero consulatu petendo Senatum populumque rationem habere.* Qui locus sufficiat, alia certe atque quae Orellio in mentem venerunt inserenda esse videntur. Populi enim nullae partes erant in destinandis bello cuique ducibus; solius Senatus et fortasse Consulum ipsorum optio erat, utri consulum belli alicuius gerendi munus demandandum esset. Retinuerim igitur volgatam.

Pag. 9.

I, 9. 6. *contulerit his et ante.* Verba „cuius tantum priores excessit" mea opinione significant, a Pauli triumpho priores i. e. modo nominatos Anitii Octavique triumphos tantum relictos esse superatosque, ut — omnium ab omnibus ante Imperatoribus actorum triumphorum comparationem amplitudine vicerit. Particula *et* in *que* mutata aut potius signo *et* aliter lecto prodit lectio haec: „Cuius tantum priores excessit vel magnitudine — pecuniae, ut bis — contulerit, hisque omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit." Vocab. *omnium* Amerbachii incuria omissum, non ab Rhenano temere insertum putarim. Discernant penes quos harum rerum iudicium est placeatne quae Orelliana lectione prodit sententia.

Pag. 11.

I, 11. 6. *extenuatumque*] Malim *extentatumque*, quam *extentumque*.

Pag. 12.

I, 11. 7. *quattuor filii*] Leg. *quattuor illi.*

P. 13. v. 14.

I, 12. 7. *si mo*[nim] *usquam.* Vera huius codicis lectione nitens legendum coniicio: „*si minimum usquam stantis maneret Carthaginis.*" Cfr. Walth. lex. dipl. 210.

Pag. 17. v. 4.

II, 15. 3. *in demoliendo*] Vide scribendumne sit: *deinde in moliendo.* Ita p. 118. v. 11. legitur *diu dereluctatus* = *diu deinde reluctatus.*

Pag. 17. v. 14.

II, 15. 5. *post tres et vig.*] In libro meo, qui inscribitur Fasti consulares, pagina 84, humanissime ab Orellio citata, per errorem *Aesulum et Alsium* posui quum scribere deberem *in Bagiennis Eporediam.*

Pag. 20. v. 17.

I, 18. 1. *et ad urbium*] Fort. leg. *singularum urbium.*

Pag. 21. v. 7.

I, 18. 3. *et initalia.* Leg. *ut multae aliae.*

Pag. 22. v. 16.

II, 1. 4. Mihi quidem cum Ianio non displicet volgata, neque opus est, opinor, inserendo v. *pessimum.* VV. *magni nominis virum* parenthesi includenda quasi exclamantur a scriptore magni Pompeii memori.

P. 23. v. 3.

II, 1. 4. *quippe non recusando.* Legendum coniicimus: *Qui populum non excusando perduxit, huc,* i. e. qui sese non excusando populum R. eo perduxit, ut — (*pp* = populus.) Ceterum de isto *huc*, multis suspecto, comparandum fortasse est capitis 96 initium: *in hoc perduxerat.*

Pag. 24. v. 16.

II, 3. 2. *senatus atque equestris.* Codicis Amerbachiani ope h. l. Velleii nobis manum assequuti videmur. Legendum est: *atque etiam equestris ordinis pars melior.* Concedes enim mirum quodam-

modo fuisse quod et equites, tanto à Graccho favore complexi, in illum irruerint.

Pag. 26. v. 16.

II, 4. 7. *Anno*, non Amerbacchii *annos* scribere malim. Ceterum de chronologia h. l. non constat ratio.

Pag. 27. v. 2.

II, 5. 3. Quum appareat, non *timorem* sed *pudorem* militum effecisse, ut vincerent: nihili est quod legit Amerb. *mixtus pudori timor.*

Pag. 29. v. 6.

II, 7. 6. Quid sibi vult *ultio inimicitiarum?*

Pag. 29. v. 16.

II, 9. 6. Orellii lectio *magnumque Enni* quamvis non plane displiceat, tamen vide ne in ipso vocab. *magnum* nomen aliquod lateat, v. c. *Asiniique.* Cuius in laudem affero Virg. Ecl. VIII, 10. *sola Sophocleo tua carmina digna cothurno;* et Dial. de Oratt. 21. *Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est.* Quae conveniunt cum illis Velleii, poëtam illum inter hos ipsos fecisse operi suo locum, adeo quidem ut in illis limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis. Ennius certe vix dici poterat operi suo locum fecisse inter Pacuvium Acciumque, quippe quos non exceperit, sed quibus aetate antecesserit. Constat enim Ennium anno u. c. 585, Pacuvium 625 diem obiisse, Accium vero anno demum 583 natum esse.

Accedit, quod mihi quidem ineptior videtur loquutio „*magnum* operi suo locum fecit.“ Quare Ennium h. l. fortasse eandem cum Livio Naevioque sortem traxit nimirum ut taceretur. Id quod tamen explicatur ab ipso Velleio l. I. c. 17: „Nisi aspera ac rudia repetas, et *inventi laudanda* nomine.“

P. 32. v. 18.

II, 12. init. Pulcherrimam Orellii coniecturam „*P. R. praecaventibus*“ ipsa syllaba *prae* in *P. R.* mutata (uti supra ex *P. R.* effectum est *Praetor*) ad umbilicum perductum iri putarim.

Pag. 34. v. 17.

II, 14. 1. *incepta.* Amerbachii, non codicis est v. *incepta*, unde vix mirum, nihil notasse Burerium.

Pag. 37. v. 1.

II, 16. 3. Si h. l., qua de re nihil ambigam, verum est Amerbachii *illi*, scribendum fortasse est: *Quin illius pietati.*

P. 37. v. 9.

II, 16. 4. Amerbachii lectio *legerantq.* omnino vera est. Attamen scripserim: legerant quod appellarent Italicam. In ipso quod habuerunt concilio futurum primariae quaecunque erat urbis nomen constituisse videntur. Ceterum Burerius id maxime agens ut ostenderet *Italicam*, non *Italicani* legi in antiquo cod., de more ad illam lit. q. parum attendit, quam igitur suo arbitrio explicasse putandus est.

Pag. 37. v. 11.

II, 16. 4. *rem p. R.* Ruhnkenii coniecturam *rem publicam populi Romani* nullo modo acceperim; nimirum *privata* populi R. res non est; populi R. res semper publica est s. populica. Ergo optime se habet lectio AB. *rem populi Romani.*

Pag. 39. v. 24.

II, 19. 4. *Taenariam*] Fort. scrib. *circa insulam Aenariam*, litera T ex I. (= insula) orta.

Pag. 41. v. 1.

II, 20. 5. *cuius augenda C. Marium.* Fort. scrib. „*Opus erat partibus auctoritate, gratia, cuius augendae causa Marium cum filio revocavit.*" Vocabulum *causa* elicio ex illo *C.* ante *Marium.*

Pag. 41. v. 12.

II, 21. 2. *adfuisset.* Vereor ne, vocabuli *affulsisset* elegantia obcaecati in v. *affuisset* iniustius egerint Critici.

Pag. 42. v. 22.

II, 22. 5. Nihil opus est intruso v. *suo.* Vid. Krausii veram loci interpretationem.

Pag. 44. v. 11.

II, 24. 3. *caelestem eius vitam.* Quaeritur, sitne in cod. Amerb. verbum *in* ante v. *vita* s. *vitam*, quum praemissis verbis „*eius vitam memoriam*" (non „*in vitam*") Orellius haec tantum

addat: scilicet ita ut prius scripserit *eius in vita inq. memoriam*, tum delerit *inq.* et litt. *m* superscripserit voc. *vita.* Quodsi notae illius ab initio casu tantum omissum est v. *in*, aliam nos atque quam Orellius proposuit lectionem in medium proferimus; quippe scribendum coniicimus: *coelestem eius invictamque memoriam.* Etenim quid est *caelestis vita*? — Malis fortasse *inclitamque memoriam.* Sed dicitur *adamas invictus*, et similiter Lucretius I, 950 „Corpora perpetuo volitare invicta per aevum."

Pag. 44. v. 19.

II, 24. 4. *superaret.* Infinitivum *superare* minus Latine positum putarim, scribendumque: *superaturus erat.*

Pag. 46. v. 9.

II, 26. 1. In vocab. *aevi* offendit cum aliis VV. DD. Orellius. At notandum est, Marium patrem diutissime vixisse, filium vero maxime praematura morte abreptum esse, unde facillime aevi s. aetatis mentio fieri poterat.

Pag. 47. v. 1.

II, 26. 2. Retineo volgatam *malis publicis*, multo fortior h. l. est pluralis quam singularis.

Pag. 47. v. 11.

II, 26. 3. *Quantum — accessit.*] Horum verborum de sensu plane consentiens cum Orellio V. Ill., verba *nunc — latet* ita emendarim: *nunc vir-*

tute feminae eminet, propria latet! — Similitudo vv. *feminae* et *eminet* in oculos incurrit.

Pag. 47. v. 14.

II, 27. 1. *vir — penitusque.*] Fort. leg. *Vir animi fortissimus, bellique peritissimus.*

Pag. 49. v. 6.

II, 28. 2. Non patet, utrum *Affella*, an *Asella* sit in cod. A.

Pag. 49. v. 10.

II, 27. 6. *sublato eius*] Violentior est Orellii coniectura: retinuerim volgatam. Sullae quidem temporibus Sullae nomen etiam additum esse illis victoriae ludis nemo negabit: unde quum ipsa rei memoria h. l. repetatur, facillime etiam nomen addi potuisse videtur.

Pag. 49. v. 18.

II, 28. 2. *excesserat*] Quin post v. *excesserat* desint aliqua, nullus dubito, at Cludii fuit ieiunius est, malim inserere *creatus erat*, similitudine, ut puto, literarum elapsum.

Pag. 50. v. 2.

II, 28. 2. *spoliamusieranteo.* Meum *olim* in ea quam cepi coniectura semper *olim usi erant eo* inveneram, antequam Orellii libro ut ruterer contigit.

Pag. 51. v. 1.

II, 29. 2. *forma excellens*] Fort. leg. „*Forma excellens, non ea, qua flos commendatur aetatis*

sed ex dignitate constantiaque in illam convenient amplitudinem, quae fortunam eius ad ultimum vitae comitata est diem." *Conveniente* feci ex v. *conveniens*, sicuti aliis quoque locis sub lit. *s te* et *iter* latere ostendi, e. g. *victus pars* in codice exstitit pro *virtute pariter.*

Pag. 51. v. 18.

II, 29. 18. *prudentiae celeriora*] Militarium rerum *doctrina*, non *prudentia* excolitur ingenium, quare fort. legendum: *bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia excellere curarat*, *ut* et. q. s. Literas *e celeri* verbo *excellere*, quod restat *ora* verbo *curarat* originem dare iusserim. Et attende ad illa *ora et a* simillima illis *curarat ut a*, literis hisce *u* scribae incuria depravatis nanciscimur *cararatata*, quare quid facilius quam v. *rat* excidisse.

Pag. 52. v. 1.

II, 30. 1. *Etoscae.* Uti supra ex v. *Taenaria* effeci *I. Aenaria*, ita h. l. ex v. *Etoscae* elicuerim *U. Oscae* i. e. *urbe Oscae.*

Pag. 53. v. 14.

II, 31. 4. *ut exemplo nocet.* Persona h. l. est vernaculum Persönlichkeit, scripserimque „*ut exemplum docet.*" Neque enim dicitur h. l., M. Antonii exemplo effectum esse ut Gabinius legem tulerit; sed verbis *Sed — levat* continetur ratio, cur Pompeio quidem lege illa perlata uni viro paene

totius orbis terrarum imperium delatum sit, Antonio non item; cur legem Gabiniam dissuaserint optimates.

Pag. 53. v. 20.

II, 31. 4. *consilia.* Nonne scribendum: *sed eorum consilia i. v. s.?*

Pag. 53 v. 16.

Non sine voluptate sed et cum dolore nunc demum video, me in eadem incidisse cum Huthio, coniiciente: *permultis iam aliis locis victos.*

Pag. 54. v. 14.

II, 32. 14. Apparet vv. *discripto quos ue in* in ipso codice exstantia, a Rhenano, corrigendi studio ducto, immutata esse. Quae tamen mihi omnino non sana esse videntur. Quid si scribendum sit: *distributo quoquoversus* — praesidio navium?

Pag. 55. v. 4.

II, 33. 1. *Piraticum*] Est h. l. scriptoris, non librarii error notandus. Etenim si verum esset Santenii *Mithridaticum*, Velleius non diceret: Cum in fine esset bellum Mithridaticum, cumque Lucullus — *idem bellum* adhuc administraret, Manilius legem tulit, ut *bellum Mithridaticum* per Pompeium administraretur. Offendo in eodem Subiecto ter repetito. Neque is est librarius Murb., qui tales creet voces.

Pag. 57. v. 1.

II, 35. 1. *in altissimo luminavit*] i. e. virtutem Catonis in altissimo quasi loco stantem illuminavit, lumen ei offudit. Nihil mutandum duxerim.

Pag. 57. v. 5.

II, 35. 5. *nota*] Adhuc sub iudice lis est, Orellii enim coni. *voto* mihi antithesi quae verbo *inierat* inveniatur necesse est non videtur satisdare.

Pag. 58. v. 5.

II, 36. 2. *saneque*] Praemissis Ciceronis Hortensiique nominibus, nemini non statim in mentem venientibus, satis apte vocabulo *saneque* ab initio posito sequuntur nomina Crassi, Catonis, Sulpicii. *Saneque* autem fere significat: Neque tamen omittamus. Cfr. Velleianum *Sane non ignoremus.* l. II. 9. 6.

Pag. 59. v. 26.

II, 38. 1. *stipendia pacta sit.* Nihil mutarim, quum v. pacisci etiam significet promittere, stipulari.

Pag. 63. v. 10.

II, 40. 5. *tamen*] Displicet quidem volgata, neque tamen arridet Orellii *tandem*; semper, opinor, iniuriae sibi illatae memor fuit Lucullus. Scrib. fort. s. *ante* s. *olim.* Tamen in codd. est *tn*, ante *an*; literae *a* abiit in l. t.

Pag. 65. v. 9.

II, 42. 9. *idem enim cum Asia eam quoque obtinebat.* Ostendit, opinor, Ruhnkenius ad c. 42. §. 1. 2. hanc quidem coni. stare non posse.

Pag. 66. v. 24.

II, 44. 2. *diverso quamquam*] Malim: *diverso cuique tempore ipsis.*

Pag. 67. v. 8.

II, 44. 4. *ius ab his.* Nihil mutandum: *ius* est ius civitatis, ut l. I. c. 14. 1. *Ab his* sc. colonis, civibus Romanis Campanis ius civ. restitutum esse dicitur.

Pag. 70. v. 12.

II, 47. 4. *inutiliter.* Fort. leg. *inutili, verum* s. *sed.*

Pag. 70. v. 26.

II, 48. 1. Iniuste h. l. in Rhenanum invehitur Orellius. Etenim aut omnino non offendamus licet in vv. *adsentabatur* et *adversabatur*, quasi ἀντιθέσεως loco positis, aut Velleii non Rhenani culpae imputanda est quam Orellius denotat cantilena.

Pag. 71. v. 19.

II, 48. 5. *et coalescentis.* Ne quid depereat, scrib. propono: *ille coal.*

Pag. 73. v. 3.

II, 49. 5. *legione ne retinere*] Quum Orellius ipse concedat, syllabam *ne* meram geminationem esse adeoque Amerbachium h. l. dormitasse: eadem illa incuria v. *titulum* h. l. intercidisse absurdove illo *ne* loco motum esse putarim. De Germanismo, quem redoleat v. *titulum*, mihi non convenit cum Orellio, quippe quod ab ipso Velleio c. 63. 1. confirmetur.

Pag. 75. v. 7.

II, 51. 3. *variatum*] Orellii coniecturae *Variis certatum* adversatur positio vocabuli *deinde.*

Pag. 80. v. 9.

II, 57. 2. *dati ab eo*] Nullus dubito quin vera sit Burerii lectio. Aliis quoque locis, uti pag. 27, 2. verborum ordinem invertit Amerbachius. Ceterum hanc codicis lectionem emendatione egere vix est quod dicam.

Pag. 82. v. 3.

II, 59. 6. *rotundatusque in colorem*] At quid est: „imponens *colorem* arcus velut coronam?“ Fort. volgata retineri potest. Nisi forte Lucretiano: „Tum *color* in nigreis exsistit nubibus *arqui*,“ scribendum sit: *rotundatus cum colore arcus* (genit).

Pag. 85. v. 23.

II, 64. 3. *peristhaec.* Fort. leg. est *perisse. Set haec.* Quod si est, illud *Set* optime accommodatum est orationis qui dicitur transitui.

Pag. 88. v. 17.

II, 68. 1. *umbram actae rei capit.*] *Capit* i. e. recipit; *umbram* i. e. levem adumbrationem. Nihil mutarim.

Pag. 91. v. 5.

II, 69. 6. Malim scribere *Fortuna* lit. mai.

Pag. 91. v. 14.

II, 70. 1. *manifestae denuntiatione quietis.* Tametsi minime negem, eiusmodi quas Orellius

dicit inversiones Velleio moris esse, tamen h. l. *quietis* minime i. est q. *somnium*, sed denuntiatio quietis est denuntiatio somni, denuntiatio per quietem dormienti facta, unde *manifesta quies* durior sane esset loquutio.

Pag. 97. v. 11.

II, 78. 1. *uxorem Pompeius.* De inducendo — ut alia omittam — v. *redierat* non possum quin dissentiam ab Orellio. Quam Pompeium inter et Antonium antithesin quo pertineat explicari iubet Orellius, eam equidem omnino non invenio. Sed componuntur h. l. Pompeius Antonius et Caesar. Paragraphi huius vv. *Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in provincias* quoad sensum coniungantur necesse est cum iis vv. a quibus altera incipit §phus *Interim Caesar* et q. s. Enarrat Velleius, dum Pompeius in Sicilia, Antonius in transmarinis provinciis fuerit, Caesarem in Illyrico Delmatiaque versatum esse. Quare quum dicuntur loci illi quibus eodem tempore fuerint tres illi viri, nihil video in caussa esse cur Velleio non licuerit narrare quae narrat. — Capitis 77 initio Pompeius circa Misenum fuisse dicitur, quo antequam perveniret, Murcum in Sicilia interfecerat; post autem pace circa Misenum inita in Siciliam redierat. Vid. Kraus. ad vv. *Statium autem Murcum* c. 77. 3. Uterque et Pompeius et Antonius, nec non qui una cum his fuerat Caesar quo post pacem circa Misenum factam pertenderint h. l. exponit Velleius.

Pag. 102. v. 10.

II, 83. 2. *in omnia et in omnibus*] Antithesis, ni fallor, plane Velleiana, significans, Plancum non solum ut in quamque rem operam suam pacisceretur, sed ut et in ipsis rebus, postquam eas suscepisset, perficiendis infidum se praestaret, pecunia corruptum esse.

Pag. 111. v. 11.

II, 92. 4. *vetuit.* Videant me Latine doctiores, num h. l. vv. *profiteri vetuit* omitti possint et cogitatione suppleri; mihi, quum constet verbum *vetare* etiam cum solo personae accusativo, Infinitivo nullo addito, iungi, h. l. *profiteri* omnino non videtur supplendum esse; sed aut nihil aut ex modo praecedentibus vv. *consulatum praeturae iungere.* Ita Horatius: „*Vetuit me tali voce*," sed vereor ne lignum feram in silvam.

Pag. 114. v. 20.

II, 97. 4. *peragratusque.* Audacius, si quid video, cum Ruhnkenio verbum hoc ea tantum de causa immutaremus, quia in iis, qui temporum iniurias effugerunt, veterum libris nullum verbi huius tanquam deponentis inveniatur Participium praeteriti.

Pag. 117. v. 3.

II, 101. 1. *iuvene excelsissimae insulae.*] Orelliana coniectura simplicior ni fallor est haec editoris Basil.: *iuvene excelsissimo in insula.* Litt. *o i* (*i* est in) depravatae sunt in *ae*.

Pag. 118. v. 22.

II, 105. 3. *atque eo.*] Malim s. *atque quo*, s. *quoque*. Ita statim post *spemquae* pro *spemque*.

P. 122. v. 6.

II, 106. 6. *abutentem.* Non accesserim Orellio, qui nimium, opinor, Amerbachio tribuens, *ab* in *eo* immutat. Fortius aliquantum est vulgatum „lauteque eo abutentem," quam Orellii: *lauteque eo utentem*, in quo praeterea κακοφωνίαν notarim.

Pag. 122. v. 18.

II, 107. 1. *sub omnem motumque.*] Quam primam feci coniecturam tametsi non abdicem, tamen subsidii loco pono hanc: *sub speciem motumque.* Ita Caesar B. G. IV, 20. „Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas, quarum et species barbaris inusitatior et motus ad usum expeditior erat."

Pag. 126. v. 11.

II, 111. 1. *Pollicitati.*] Vix quicquam deesse putamus.

Pag. 126. v. 22.

II, 111. 4. *furentis.* Egregiam Orellii coniecturam *fruentes* in usum utique meum convertens, hoc modo omnia sarta tecte fore putarim: *Fruentes eorum vires universis invasimus partibus.* — Orelliano *universas* adversatur positio voc. *eorum*; etenim si verum esset legendum etiam esset: *universas eorum vires. Partibus* vero quin idem sit quod *per partes*, hoc certe loco dubi-

tarim. Ceterum de illo quod modo posui *invasimus* video mihi cum Lipsio convenire.

Pag. 127. v. 11.

II, 112. 2. *circumdatus hostili exercitu.*] De v. *hostium* a Rhenano temere inculcato non possum quin dissentiam ab Orellio. Quippe scribendum: *circumdatus hostili exercitu, amplius viginti millia hostium fudit.* Moris enim erat scribae Murbacensi, voculam *millia*, notas numerales excipientem, scribendo non exprimere. Cfr. II, 124 et 5. *caesa aut capta amplius C. hostium.*

Pag. 129. v. 11.

II, 113. 1. *XIIII sed.*] Modo ne repugnet historia, scribendum coniecerim: *X alis et*, non: XIIII *alis et.* Namque numerum XIIII ortum putarim ex v. XALI, lineolis intermediis vetustate abolitis.

Pag. 129. v. 19.

II, 113. 2. V. *utique* cur mutandum?

Pag. 131. v. 6.

II, 114. 5. *eorum.*] Fort. scrib.: *vir nomini ac fortuna deorum simillimus.* sc. generis nobilitate fortunaeque qua utebatur splendore eo pervenerat, ut cum diis ipsis compararetur. Simili hyperbole usus est Velleius II, 35. 2; 130. 5.

Pag. 133. v. 17.

II, 116. 4. *deceptus est.* Legendum est *deiectus est.*

Pag. 139. v. 2.

II, 121. 2. Verbum *vindicandi* h. l. tuendi notione positum esse confirmo Velleiano „*ad vindicandum populum*“ s. nisi mecum facit „*ad vindicandam remp.*“ c. 28. 2.

Pag. 143. v. 9.

II, 126. 1. *insera — in partibus.*] Fort. scrib. *quum inscripta oculis animisque omnium sint, partibus eloquatur?* — Neque enim offendes, opinor, in v. *sint* ita posito.

Pag. 147. v. 4.

II, 129. 2. Quum praecedat *senator et iudex* his duobus vocc. alia duo opponantur necesse est, quo fiat antithesis prorsus Velleiana. Quare fort. scrib. *princeps et Imperator*, s. *princeps et Caesar* Quod ultimum malim propter similitudinem vocc. *Caesar* et *causas*.

Tabella.

CAP. I.

1. nu̅q̅ — ....1443. numquam.
2. u̅q̅ — S. XIII.
   u̅q̅ — S. XIV.

CAP. IIII.

3. e9 — eius. S. XIII f.

CAP. V.

4. a/e — S. XIII.
5. c̃ — ... S. XIII — contra.
6. c9 — 1458.

CAP. X.

7. au̅ — aut. S. XIV m.
8. a̅a̅ — ..... 1376. — ante
9. a̅n̅ — ...... 1280.
10. illi9 — illius S. VIII.
11. so̅ — solum S. XIV.
12. sp̅ — semper S. XIV.
13. sp̅
14. sp̅
15. p^m — populum.
16. pp^s — populus.

CAP. XI.

17. iu̅e — iure 1447.

CAP. XII.

18. — S. XIV.
19. — esse S. XIV.
20. — S. XIV m.
21. — S. XIII f.
22. fiebat — S. XII.
23. hebr̅ — habebitur S. XIV c.

CAP. XVI.

24. n9 — nullius.
25. u9 — unius.

CAP. XIX.

26. spem — spem. S. VIII.
27. argu̅ — argumentum
28. argm̅ — argumentum

CAP. XXII.

29. p̶s — pars 1419.
30. p̶r — pariter 1473.
31. parit̅ — pariter.
32. s nota syllabae er.

CAP. XXVII.

33. potn̅^iis — potentiis S. XIII?
34. restit̅oe — restitutione 1368.

35. ꝯpa° *comparatio.*

36. demrõis *demonstrationi.*

CAP. XXVIII.

37. ꝟte *virtute S. XIV c.*

CAP. XXXV.

38. nc̃ *nunc 1441.*

39. nõ *non 1313.*

40. uõ *vero 1284.*

41. vº *vero 1437.*

CAP. XLI.

42. aꝯ *alius S. XV m.*

CAP. XLIV.

43. rṽõre *revocare 1362.*

CAP. LI.

44. omõ *omnino 1315.*

45. omẽ *" 1322.*

46. nõi *nomini*

CAP. LVII.

47. lƺ *licet S. XIII.*

48. lƺ *S. XIII.* } *licet*

49. lƺ *1313.*

CAP. LVIII.

50. bllm̃ *bellum S. XIII c.*

CAP. LXIX.

51. s̃cõ *sanctis S. XIV.*

52. s̃cissm̃ *sanctissimi S. VIII.*

53. s̃cissº *sanctissimo 1362.*

54. m̃mũ *minimum S. XIV. m.*

55. mĩmꝰ *minimus S. XV.*

CAP. LXXVII.

56. ꝫ *- orum*

CAP. LXXVIII.

57. oᵗᵐ *obiectum S. XIV f.*

58. om̃ *omnem 1275.*

CAP. LXXX.

59. exrcĩtaõ *exercitatio S. XV f.*

CAP. C.

60. nꝰquã *nunquam S. XII.*

Annotatio ad tabellam.

Citabimus haec opera diplomatica:

Lexicon Diplomaticum abbreviationes Syllabarum et vocum in diplomatibus et codicibus a seculo VIII ad XVI usque occurrentes exponens, iunctis Alphabetis et Scripturae speciminibus integris. Studio *Io. Lud. Waltheri.* cum praef. *I. H. Iungii.* Gottingae 1747. fol.

Miscellanea meist diplomatischen Inhalts. Bearb. von *Konrad Mannert.* M. K. Nürnberg. 1795. 8.

Zur Handschriftenkunde von *F. A. Ebert.* Lpz. 1825 et 1827. 2 Bde. 8.

Italiänische Reise vom Nov. 1821 bis Aug. 1823 von Dr. *G. H. Pertz.* Aus dem 5ten Bande des Archivs für ältere Deutsche Geschichte besonders abgedruckt. Hannover 1824.

Ad Cap. I.

Syllaba *re* in compositis fere per solam lit. *r* scribitur: vid. Walth. 333. passim, *r* vero et *x* facillime confunduntur.

Signum 1 est apud Walth. Col. 238, 28; signum 2 et 3 Col. 233, 20 et 21.

Ad Cap. II.

Signum 3 vid. ap. Walth. C. 99, 7.

Ad Cap. V.

De signo 4 vid. Walth. C. 41, 3; de s. 5 et 6. C. 442, 11 et 17.

Ad Cap. X.

Signum 7 leg. ap. W. C. 28, 26; s. 8 et 9 C. 15, 22 et 23. Signum 10 est ap. W. C. 172, 4. Sign. 11 est ap. W. 373, 26; s. 12 et 13 est C. 374, 26 et 27. Sign. 15 est ap. Mannert. p. 42, 4; s. 16 ap. eund. eod. loco C. 9.

Ad Cap. XI.

Signum 17 et stat. ap. W. C. 190, 3.

Ad Cap. XII.

Quae ad numerum 18, 19, 20, 21 additae sunt notae sunt ap. W. C. 442.

Ad Cap. XII.

De signo 22 et 23 adeas W, 151 v. 20 et 23; sed iuvabit etiam de omissis literis *ab* in v. *habere* inde a versu 16 perlegere et totam hancce columnam et sequentis paginae initium.

Ad Cap. XVI.

Signa in 9 desinentia addidi propter syllabam, quae in fine verborum est, *us*. Vid. Mannert. p. 42, 4 et 5.

Ad Cap. XIX.

Voc. *spem* sic scriptum legitur ap. W. C. 377, 1; duas vocabuli *argumentum* notas petiimus ab eodem C. 24 v. 23 et 17.

Ad Cap. XXII.

Signum p^r, quod capite hocce XXII scripto inveni, facilius etiam quam sign. 32 cum signo 29 confundi poterat. Sed est s. 29 ap. W. C. 299 v. 21; s. 30 ap. eund. C. 296 v. 21; s. 31 ap. Perzium p. 54; s. 32 ap. Mannert. p. 42, 1.

Ad Cap. XXVII.

Sign. 33 v. ap. W. C. 285 v. 23; sed cfr. etiam ib. v. 14 et c. 287 v. 21. Verba ad n. 34, 35, 36 ascripta propter ter-

minationem eorum dedi: nimirum intercidunt fere syllaba *ati* et l. *n*. Ceterum v. Mano. p. 42, 1; 6; Waltherum l. 337. v. 15.

Ad Cap. XXVIII.

Notam 37 reperi ap. W. C. 421 v. 25.

Ad Cap. XXXV.

Ad signum 38. Vid. W. C. 224 v. 21.
Ad signum 39. Vid. W. C. 230 v. 12.
Ad signum 40. Vid. W. C. 425, v. 27. 28.

Ad Cap. XXXVII.

Signum vocabuli *virtute* v. ad. num. 37.

Ad Cap. XLI.

Signum 42 legi ap. W. C. 1. v. 8.

Ad Cap. XLIV.

Sign. 43 videsis ap. W. 347, v. 28.

Ad Cap. LI.

De signo 44 et 45 consulas W. C. 244 v. 27. 28. Sign. 46 dedit W. C. 231, 15; quam columnam inde a v. 12 aspicias omnem.

Ad Cap. LVII.

Signum 47 pinxit W. C. 195, v. 26; sign. 48 et 49 ab initio literae L. positum legitur 2 in Waltheri libro.

Ad Cap. LVIII.

De signo 50 adeas W. C. 36 v. 9.

Ad Cap. LXIX.

De iis quas ad numm. 51. 52. 53 appinximus notis auctore utor Walth. C. 359. Sed cfr. etiam C. 358.

Ad Cap. LX.

De voc. *hunc* sine lit. *h* scripto cfr. Pertz. p. 55 extr.

Ad Cap. LXVI.

Vocabulum *et* saepenumero pro v. *eius* poni, quum per se clarum sit, tum exemplo docet Ebert. p. 198.

Ad Cap. LXXVII.

Notam 57 desumpsimus e Mannerti libro p. 42, 2.

Ad Cap. LXXVIIII.

Signam *o*^{m} et *om* suppeditavit W. C. 245 extr.

Ad Cap. LXXX.

Signam 57 reperi ap. W C. 817, quam totam conferre iuvabit.

Ad Cap. C.

Signum *nqua*, quod dedi quo appareret quomodo syllaba *nun* vocabuli *nunquam* interciderit, vid. ap. W. C. 233 v. 23.

De signis 54 et 55 evolvimus W. 210, 8 et 9.

Index locorum.

Vell.					
II, 15. 1.	pag. 35	ed. Orell.	Cap. V.	pag.	9
„ 16. 3.	„ 36	„ bis	„ VI.	„	6. 135
„ 16. 4.	„ 37	„		„	135
„ 16. 4.	„ 37	„		„	136
„ 19. 4.	„ 39	„		„	136
„ 20. 5.	„ 41	„		„	136
„ 21. 2.	„ 41	„		„	136
„ 22. 5.	„ 42	„		„	136
„ 24. 3.	„ 44	„		„	136
„ 24. 4.	„ 44	„		„	137
„ 25 et 26.	„ 46	„	{ „ VII	„	11
			{ „ VIII.	„	15
„ 26. 1.	„ 46	„		„	137
„ 26. 2.	„ 47	„		„	137
„ 26. 3.	„ 47	„		„	137
„ 27. 1.	„ 47	„		„	138
„ 27. 5.	„ 48	„	„ IX.	„	19
„ 27. 5.	„ 49	„	„ LI.	„	79
„ 27. 6.	„ 49	„		„	138
„ 27. 6.	„ 49	„		„	138
„ 28. 2.	„ 49	„	„ X.	„	19
„ 28. 2.	„ 49	„		„	138
„ 28. 2.	„ 50	„		„	138
„ 29. 2.	„ 51	„		„	138
„ 29. 18.	„ 51	„		„	139
„ 30. 1.	„ 52. 1	„		„	139
„ 30. 4.	„ 52	„	„ XI.	„	24
„ 30. 6.	„ 52	„	„ XV.	„	29
„ 30. 6.	„ 52	„	„ XXXIX.	„	47
„ 31. 1.	„ 53	„	„ XII.	„	25
„ 31. 4.	„ 53	„		„	139. 140
„ 32. 2.	„ 54	„	„ XIII.	„	26
„ 32. 4.	„ 54	„	„ XIV.	„	27
„ 32. 14.	„ 54	„		„	145
„ 33. 1.	„ 55	„		„	140

Vell.									
II.	34. 3.	pag.	56	ed. Orell.		Cap.	LI.	pag.	79
"	35. 1.	"	57	"				"	141
"	35. 2.	"	57	"		"	XVI.	"	30
"	35. 5.	"	57	"				"	141
"	36. 2.	"	58	"				"	141
"	36. 2.	"	58	"		"	XVII.	"	31
"	37. 5.	"	59	"		"	XVIII.	"	32
"	38. 1.	"	59	"				"	141
"	38. 3.	"	60	"		"	XIX.	"	33
"	38. 6.	"	61	"		"	XX.	"	34
"	39. 1.	"	61	"		"	XXV.	"	39
"	39. 1.	"	61	"		"	XXI.	"	34
"	39. 2.	"	61	"		"	XXVI.	"	41
"	40. 5.	"	63	"				"	141
"	42. 9.	"	65	"	bis	"	XXX.	"	47. 141
"	44. 2.	"	66	"				"	142
"	44. 4.	"	67	"				"	142
"	46. 1.	"	68	"		"	XXIII.	"	38
"	47. 1.	"	69	"		"	XXIV.	"	39
"	47. 2.	"	69	"		"	XXVII.	"	43
"	47. 4.	"	70	"				"	142
"	48. 1.	"	70	"				"	142
"	48. 4.	"	71	"		"	XXXI.	"	48
"	48. 5.	"	71	"				"	142
"	49. 5.	"	73					"	142
"	51. 1.	"	74	"		"	LI.	"	79
"	51. 2.	"	74	"		"	XXXII.	"	50
"	51. 3.	"	75	"		"	XXXVII.	"	50
"	51. 3extr.	"	75	"				"	143
"	52. 5.	"	76	"		"	LXX.	"	97
"	53. 2.	"	76	"		"	XXXIV.	"	52
"	54 init.	"	77	"		"	XXXV.	"	52
"	54. 2.	"	77	"		"	XXXVI.	"	53
"	55 init.	"	78	"		"	XXXVII.	"	54
"	55. 4.	"	78	"		"	XXXIX.	"	57

Vell.									
II.	56. 2.	pag.	79	ed. Orell.	Cap.	XXXVIII.	pag.	56
"	57. 2.	"	80	"	"	XL.	"	59. 153
"	59. 1.	"	81	"	"	XLI.	"	60
"	59. 6.	"	82	"			"	143
"	60. 4.	"	82	"	"	XLII.	"	62
"	64. 3.	"	85	"			"	143
"	64 extr.	"	86	"	"	XLIII.	"	65
"	66 init.	"	86	"	"	XLIV.	"	65
"	66 extr.	"	87	"	"	XLV.	"	67
"	68. 1. 2.	"	88	"	"	XLVI.	"	68
"	68. 1.	"	88	"			"	143
"	68. 2.	"	89	"	"	XLVII.	"	71
"	68. 2.	"	89	"	"	XLVIII.	"	73
"	68. 5.	"	89	"	"	XLIX.	"	75
"	69. 2.	"	90	"	"	L.	"	77
"	69. 3.	"	90	"	"	LI.	"	78
"	69. 6.	"	91	"			"	143
"	70. 1.	"	91	"			"	143
"	73. 2.	"	93	"	"	LII.	"	80
"	74. 2.	"	94	"	"	LIII.	"	81
"	76. 4.	"	96	"	"	LIV.	"	82
"	78. 1.	"	97	"	"	LV.	"	82
"	78. 1.	"	97	"			"	144
"	80. 2.	"	99	"	"	LVI.	"	83
"	80. 2.	"	99	"	"	LVII.	"	84
"	82. 1.	"	100	"	"	LVIII.	"	84
"	82. 4.	"	101	"	"	LIX.	"	86
"	83. 2.	"	102	"			"	145
"	83. 3.	"	102	"	"	LXI.	"	87
"	85. 6.	"	104	"	"	LXII.	"	89
"	87. 1.	"	106	"	"	LXIII.	"	91
"	88. 2.	"	107	"	"	LXIV.	"	92
"	89. 5.	"	108	"	"	LXV.	"	93
"	90. 1.	"	108	"	"	LXVI.	"	94
"	90. 2.	"	109	"	"	LXVII.	"	95

Vell.

II,	91. 9.	pag.	110	ed. Orell.	Cap.	LXVIII.	pag.	96
"	92. 2.	"	111	"	"	LXIX.	"	96
"	92. 4.	"	111	"			"	145
"	96. 3.	"	113	"	"	LXXI.	"	98
"	97. 4.	"	114	"			"	145
"	99. 1 et 2	"	115	"			"	99
"	99. 4.	"	115	"	"	LXXIII.	"	101
"	101. 1.	"	117	"			"	145
"	103. 3.	"	118	"			"	145
"	103. 4.	"	119	"	"	LXXIV.	"	102
"	104. 3.	"	120	"	"	LXXV.	"	103
"	105. 1.	"	121	"	"	LXXVI.	"	104
"	106. 1.	"	122	"	"	LXXVII.	"	105
"	106. 6.	"	122	"			"	146
"	107. 1.	"	122	"	"	LXXVIII.	"	105. 146
"	107. 2.	"	122	"	"	LXXIX.	"	106
"	109. 1.	"	123	"	"	LXXX.	"	107
"	111. ".	"	126	"			"	146
"	111. 4.	"	126	"			"	146
"	112. 2.	"	127	"			"	147
"	112. 3.	"	127	"	"	LXXXII.	"	109
"	112. 3.	"	128	"	"	LXXXIII.	"	111
"	112. 3.	"	128	"	in praefatione.			
"	112. 4.	"	128	"	Cap.	LXXXI.	"	108
"	112. 5.	"	128	"	"	LXXXIV.	"	111
"	113. 1.	"	129	"			"	147
"	113. 2.	"	129	"	"	LI.	"	147
"	114. 1.	"	130	"			"	79
"	114. 5.	"	161	"			"	147
"	116. 4.	"	133	"			"	79
"	117. 1.	"	133	"	"	LXXXV.	"	112
"	117. 4.	"	134	"	"	LXXXVI.	"	115
"	118. 3.	"	135	"	"	LXXXVII.	"	116
"	118. 4.	"	135	"	"	LXXXVIII.	"	117
"	119. 2.	"	136	"	"	LXXXIX.	"	117

Vell.

II.	120.	1.	pag. 137	ed. Orell.	Cap.	XC.	pag. 120
"	120.	2.	" 137	"	"	XCI.	" 122
"	121.	1.	" 139	"	"	XCII.	" 123
"	121.	2.	" 139	"			" 147
"	125.	4.	" 142	"	"	XCIII.	" 124
"	125.	4.	" 142	"	"	XCIV.	" 125
"	125.	5.	" 143	"	"	XCV.	" 125
"	126.	1.	" 143	"	"	XCVI.	" 126. 148
"	127.	1.	" 144	"	"	XCVII.	" 126
"	127.	2.	" 145	"	"	XCVIII.	" 127
"	128.	2.	" 146	"	"	XCIX.	" 127
"	129.	1.	" 147	"	"	C.	" 128
"	129.	2.	" 147	"			" 148
"	130.	2.	" 148	"	"	CI.	" 128
"	130.	3.	" 148	"	"	CII.	" 129

Errata.

pag. X. v. 12 s. l. *legerit.*
" XII. v. 5 i. l. *comprehensus.*
" XV. v. 15 et pag. seq. l. **ac** *inf. deser.*
" 4 v. 13 s. Post v. *Neque* del. *etiam.*
" 6 v. 13 i. l. *converteret.*
" 7 v. 6 i. l. *inditum.*
" 8 extr. Del. verba *Accedit — reperiatur.*
" 10 init. l. *minime* del. *nihil.*
" - v. 3 i. l. *cuius* in *quin* corr.
" 11 v. 3 i. l. *in periodo.*
" 19 v. 2 i. l. *illud ideo tantum.*
" 28 v. 4 s. l. *coaluit.*
" 30 v. 6 i. l. *seu.*
" 34 v. 4 s. l. II, 38.
" 40 v. 10 s. l. *vertatur.*
" 41 v. 2 s. Ante v. *idem* ins. *paene.*
" 47 v. 8 i. l. *Forcellinus.*
" 59 v. 5 s. l. *subsisteret.*
" 61 v. 2 i. *quae pater.*
" 63 v. 6 s. l. *seu.*
" 76 v. 2 s. l. *hac.*
" 77 v. 3 i. l. *Literae* **it cum.**
" 88 v. 5 i. l. *concedendos.*
" 93 v. 5 i. l. *Demosth. in Macartn. in.*
" — v. 4 i. l. *Cic. Or.*
" 106 v. 7 i. l. *Fort. hic locus ita constituendus est:*
" — v. 3 i. Del. v. *istud.*
" 109 v. 12 i. l. *vocabulorum.*
" 112 v. 12 i. l. *ducem et causa persona moram.*
" 126 v. 2 s. l. 126, 1.
" — v. 4 i. l. *deferens.*
" 128 v. 10 i. Verba *V. semper sqq.* delenda sunt.
" — v. 4 i. l. **sine** *trep. del.*
" 135 v. 2 l. *Ennius.*
" 144 v. 11 l. *dicantur.*